



Q.K. 132,28

Ya
6120

DISCIPLINA
ET DOCTRINA
PAEDAGOGII IN
COENOBIO ERPHOR-
DIANO AD S. AVGVSTI

NVM recognita &
aucta.

ITEM
RATIO AB INEVN-
te ætate recte viuendi recens
conscripta ab

ANTONIO MOKERO.

Additis legibus scholasticis & metricis
D. Adami Siberi.



Anno M. D. LXXXIII.

*Edonatione Honoratissimi
Sicut
Sch*



SVB NOMINE ET
PATROCINIO PRVDE
TISS: ET GRAVISSIMO

RVM VIRORVM, PIETATE, RE
rum experientia, uirtute & autoritate prestanti

D. RVDOLPHI ZIGLERI, E

D. IACOBI NAPHTZERI, am

Reipub: Erphord: in Consulatu Collegarum & Coenob

Augustiniani Contutorum inq; eo Pedagogij pas

tronorum & Dominorum suorum

colendissimorum publicis

ce edita.



P R Æ F A T I O I N D I S C I P L I N A M

SCHOLASTICAM ET RA-

tionem studiorum Pædagogij

Augustiniani.

IN Scholis iuuentus pieta-
te, bonis artibus, cognitio-
ne vtilium linguarum, &
honestis moribus, diligen-
ter, & fideliter imbuenda est. Si enim
vna harum partium deest, institutio
infelix & imperfecta est. Pietas est
fundamentum & custos totius disci-
plinæ & institutionis, sicut dicitur
Ecclesiastici primo: Initium sapien-
tiæ timor Domini: sine hac virtute
omnis doctrina, quamvis rationi hu-
manæ excellens videatur, prorsus est
ἀκεφάλαια & pernitiōsa. Bonæ artes
sunt præsidia vitæ, sine quibus esset
magnâ rerum omnium inter homi-
nes caligo & confusio. Quapropter
meritò eas Xenophon in Cyropædia
dixit esse πηγὰς τῶν καλῶν, id est, fontes
bonorum. Linguæ sunt artium Magi-

A 2 stræ,

PRAEFATIO.

stræ & instrumenta tractandæ religionis, quod non obscure significauit Deus, cum in sacra Pentecoste vnâ cum effusione Spiritus sancti donum linguarum Apostolis impertiuit. Honesti mores sunt insigne ornamentum eruditionis, quo deficiente nihil habet illa gratiæ ponderis & auctoritatis, sed omninò deformatur & contemnitur, atq; si quid vna manu ædificat, illud iterum statim altera manu destruit.

Hæ ipsæ partes omnes rectæ institutionis ad duo tantum capita breuiter & commodissimè redigi, contrahiq; possunt, quorum alterum vsitato more necessaria doctrina siue ratio studiorum, alterum verò virtus, siue pia & honesta disciplina nominatur, quæ duo sunt huius mortalis vitæ, adeoq; vniuersæ hominum societatis præcipua ornamenta & præsidia tam arcto cognationis vinculo inter sese copulata, vt alterum sine altero neq; rectè consistere, neq; locum suum uti-

PRAEFATIO.

um vtiliter tueri possit. Nam virtus nequit obtineri aut exerceri sine institutione & doctrina. Absq; virtute autem doctrina est quasi corpus sine anima.

Ad vtrunq; hoc ornamentum vt iuuentus in Pædagogio Augustiniani Monasterii, cuius curatio hoc tempore à prudentissimo Senatu amplissimæ Reipub: Erphordianæ, & inprimis à duobus præstantissimis & grauissimis viris Domino Rhudolpho Ziglero, & Domino Iacobo Naphtzero, eiusdem Reipub. Consulibus & Dominis, patronis nostris semper colendissimis, nobis mandata est, deduceretur, & pariter doctrina vtili atq; salutari moribusq; honestis exculta, olim in Ecclesia & scholis Deo seruire, vel Reipub:ornamento & adminiculo esse posset, vel in priuata vita se se erga suos Magistratus & alios rectè gereret, superioribus annis, formam nostræ administrationis, quam sequimur, publicis literis, vt ea omni-

A 3 bus

PRAEFATIO.

bus nota esset, praescripsimus. Et quidem proposuimus non solum illam institutionis partem, quae mores format, & continet disciplinae leges, retrices totius vitae, pietatis, & studiorum, quibus discipuli in officio retinendi sunt, sed etiam eam, quae in ordine studiorum siue ratione docendi, qua auditorum captui attemperata utimur, consistit.

Sed quoniam haecenus propter praeteriti anni pestem, nostra schola (ut solet fieri) non parum turbata & attenuata fuit, non paucis vi & saevitia morbi extinctis, pluribus autem domum reuocatis, necessarium est visum, ex reditu & aduentu cum patriae tum exterarum iuventutis iam recollecto veterum & novorum discipulorum coetu, denuo disciplinae leges & rationem docendi, una cum novarum lectionum ordine, publice proponi.

Permisiimus itaque Typographo, ut easdem Pædagogii nostri leges scholasticas, in quibusdam locis ob necessariam

PRÆFATIO.

sariam causam iam auctas, & vniuersam docendi rationem breuiter delineatam & adumbratam, denuò excuderet. Voluimus enim præcauere, ne quis discipulorum vllam ignorantia excusationem ob defectum exemplarium, quæ omnia distracta & diuendita esse intelleximus, meritò prætendere posset. Vtile etiam & necessarium esse duximus, tam externos quam incolas, qui suos liberos nobis commiserunt, vel deinceps ad nos missuri sunt, videre & intelligere, qua seueritate fidelitate & diligentia studiis & moribus nostrorum discipulorum seruire & consulere studeamus, eosdemq; ad superiorum artium lectiones in Academia cum fructu audiendas præparemus, inter quam & scholas particulares medium quoddam est Pædagogium Augustinianum.

Hoc institutum nostrum ratione officii susceptum, bonos & candidos viros, qui de literarum studiis optimè sentiunt, probaturos esse non diffidi-

A 4 mus,

P R A E F A T I O.

mus, praesertim cum cessurū sit in vti-
 litatem iuuentutis scholasticæ, quam
 fideliter & seriò monemus, vt sese ad
 rationē institutionis optimē & alacri-
 ter præparent, & vitā suam instituunt
 & conforment iuxta has præsriptas
 leges nostras scholasticas, quas (cum
 liberum sit vnicuiq; an soluta an verò
 ligata oratione pro rerum & circum-
 stantiarum ratione vti velit) carmine
 complecti maluimus, vt & breuitate
 & delectatione siue voluptate metri-
 ca discipulis commendatiores essent,
 ac memoriā quodammodo adiuuarēt.
 Inter alias enim multas orationis po-
 òticæ vtilitates, ea quidem nō est mi-
 nima, quod numeris illigata & com-
 præhensa, magis animos excitent &
 facilius memoria teneantur, ac ser-
 uētur, vt inquit grauiſſimus scriptor
 Plutarchus in opusculo de Pythiæ o-
 raculis. Et Aristotel. in 3. lib. Rhetor.
 ad Theodecten capite 9. verè dixit:
 διὸ καὶ τῶν μέτρων πάντες μνημονεύουσι μάλλον
 τῶν χυδναίων ἀριθμῶν ὅτι ἔχει ᾧ μετρεῖται, id
 est,

PRÆFATIO.

est, carmina omnes melius recordantur, quam solutam orationem. Numerum namque habent, quo mensurantur.

Necque novi exempli quippiam esse arbitramur, præcepta morum & honestæ disciplinæ numeris poëticis astringere. Factitarunt etenim hoc quoque bono & utili consilio multi alii laude eruditionis, sapientiæ, & virtutis excellentes, tam recentiores quam veteres, quorum instituta vnanimi doctorum virorum consensu prædicantur.

D. Ioachimus Camerarius præcepta morum ac vitæ elegiaco carmine sapientissimè proposuit. Et D. Adamus Siberus in Electoris Saxoniae illustri ludo Grima regulas piæ honestæque vitæ & morum, siue leges scholasticas Senariis, Iambicis non minus eruditè & commodè suis discipulis proposuit, alii alio carminis genere id præstiterunt.

Antiquitas etiam Apollinem metricis harmoniis, atque numeris leges,

A S quas

PRAEFATIO.

quas Græci νόμοις appellant, composuisse tradidit. Quod inter alios Suidas explicat, cuius verba ex Græco translata sunt huiusmodi: Rumor est Apollinem lyra leges nonnullas conscripsisse, quæ ad viuendi rationem satis accommodatæ erant. Studuit enim pecuinos hominum affectus demulcere cantu, vt suauitate carminis sibi ad præcipiendum gradum faceret. Leges autem cytharædinas nominabant veteres, à quibus Musici tropi, quibus modulamur, νόμοι appellati sunt. Et Aristoteles scribit citante quoque Cælio lib. 5. cap. 27. temporibus suis, in more fuisse Agathyrsis cantare leges, ne obliuioni mandarentur.

Indeque factum est, quod veteres præcepta & edicta legum, tum aliarum sanctionum carmina vocitarint, sicut passim exempla sunt obuia apud bonos autores, vt Ciceronem in oratione pro Rabirio Posthumo, item in lib. 2. de Legib. & Liuium in 1. lib. ab

-be

PRAEFATIO.

vrbe condita, vbi hæc verba extant:
Sua item carmina Albani, suumq; iurandum per suum dictatorem suosq; sacerdotes perægerunt. Item: lex horrendi carminis erat. Et Cato librum de moribus carmen inscripsit, vt citat Gellius lib. II. cap. 2. Estq; notum illud Horatii, de isto veteri vsu carminis in arte poëtica:

— — fuit hæc sapientia prima
Publica priuatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere uago, dare iura maritis.
Oppida molliri, leges incidere ligno.

Ea ipsa de re alio loco & tempore plura agemus. Iam offerimus pio & candido lectori hos nostros conatus, quos boni consulat, & studiis & laboribus tam nostris quam discipulorum nostrorum bene precetur.

Oramus autem Deum patrem in nomine filii sui vnigeniti, Domini nostri Iesu Christi, vt his vltimis temporibus, in quibus ante nouissimum diem generis humani infensissimus hostis Diabolus, rabiosissime grassatur,

PRÆFATIO.

tur, & Ecclesiam ac scholas ferè ubiq̃
locorum oppugnat, & literæ propter
hominum ingratitude[m] & illibera-
lem atq̃ inhospitalem contemptum,
vastitatem & barbariem quandam
minantur, cœtus docētium & discen-
tium, clementer protegat & tueatur,
eorumq̃ labores & studia Spiritu suo
sancto gubernet & erudiat, vt Eccle-
siæ & Reipublicæ totiꝫ posteritati
inferuire & prodesse possint. Faciat
nos vasa misericordiæ suæ, & organa
salutaria nobis & toti Ecclesiæ, detq̃
nobis felices successus in officiis vo-
cationum, & ita regat mentes & cor-
da nostra, vt ipsi grata dicere & face-
re, discendo, docendo & agendo pos-
simus, cui vni vero æterno omnipo-
tenti atq̃ misericordi Deo sit laus, ho-
nor, & gloria infinitis seculis, Amen.

*M. Antonius Mokerus Poës. & G. Lin: Profess:
pub: in Acade: & Pædag. August.*

LEGES

LEGES DE MORIBVS ET DISCIPLINA
scholastica M. Antonii Mokeri,
in septem titulos dis-
tributæ.

1. *De pietate & eius exercitijs.*
2. *De diligentia, attentione animi & moribus præstandis in schola, paternis ædibus, hospitijs & publicis pla-
teis.*
3. *De vestitu & non gerendis armis.*
4. *De cauendis periculis animi & cor-
poris.*
5. *De exercitijs.*
6. *De admittendis & dimittendis disci-
pulis.*
7. *De canentibus ostiatim figurali Mu-
sica.*

TITVLVS PRIMVS.

De pietate & eius exercitijs.

Lex

DISCIPLINA

Lex I.

DISCIPVLI in primis nostri pietatis amantes
Sint, & diuinum numen honore colant.
Eius mandatum seruent, coelestia regna
Quærant, scripturis inuigilentq; sacris.
Hinc exundat enim, ueluti de gurgite uiuo,
Integritas uitæ cognitioq; boni.
His sine Parnassi montis sublime cacumen
Pieridumq; choros nil tetigisse iuuat.
Palladis est aliquid didicisse fideliter artes,
Sed sunt ad sacras res uelut umbra silens.
Cætera quæ in speciem mundo bona magna uidentur,
Sunt quasi bulla, uapor, fumus & aura leuis.

II.

Doctrinæ discant sacra fundamenta, Lutheri
Nempe Catechismus qualia paruus habet.
In quibus auditur uox Christi, templa frequentent,
Attendant, & quæ sunt ibi dicta notent.
Harmonicis quoties canitur quoq; uocibus, omnes
Adsint, cantores atq; canendo iuuent.
At sacramenti quod templum porrigit usum
Discipulis, illi ferre tenentur opem.
Hac in re deceat quid ad ostia uoce canentes
Harmonica, in legum fine monere uolo.

III.

Quandoquidem Domini timor est sapientiæ origo,
Vnica cuiusuis principiumq; boni.
Non exercitium pietatis negligat ullus,
Quisq; pio fundat pectore uota Deo.

Orat

SCHOLASTICA!

Oret pro coetu Christi, pro dogmate sacro,
Pro statibus uitæ, proq; salute sua.

Et petat à Domino subtilis acumina mentis,
Quæ citò quod libris discere possit, inest.

Fiat in æde sacra non illa precatio tantum,
Ast etiam in quouis uespere, mane, loco.

Quotidie toto dicantur pectore grates
Pro uarijs donis pro meritisq; Deo.

Quod Christi coetus, regnum ciuile, scholasq;
Seruet, & hæc inter tempora dura tegat.

Immensa utilitas ueluti de fonte perenni
Profluit in uitæ quoslibet unde status.

III.

Vt pietatis amans: sic impietatis & osor
Ex nostro debet quilibet esse grege.

Non Domini uanos assumat nomen in usus,
Non leuiter iuret, non maledicta uomat.

V.

Discipuli afficiant reuerenter honore parentes
Ac præceptores cordis amore colant.

Hi patres animi, sunt patres corporis illi,
Est tribuendus honos dignus utrisq; suis.

Hæc pietas studijs confert, malè proficit ille,
Qui præceptores non amat atq; colit.

Non immorigeros ratione fouebimus ulla,
Ne totus coetus contrahat inde luem.

Gratior est multò puerorum turba proborum
Paruula, pranorum quam numerosa cohors.

TITV

DISCIPLINA
TITVLVS SECVNDVS.

De diligentia, attentione animi, &
moribus præstandis in schola,
paternis ædibus, hospitiiis
& publicis plateis.

Lex I.

Segnitiem fugiant intempestiuâq; somni
Tempora. Nam studijs ingenijsq; nocent.
Manè toro surgant, uotis ardentibus orent,
Atq; caput pectant, osq; manusq; lauent.

II.

Quotidie ueniant in ludum tempore iusto
Ante suum solitum quàm dedit hora sonum.
Absq; graui causa segnes qui tardius adsunt,
Desidiæ poenas quas meruere dabunt.
At sine qui uenia, cum fit prælectio, prorsus
Absunt, hærebunt in grauiore malo.

III.

Ante datum signum quicumq; aduenerit horæ,
Cœnobij petulans non stet is ante fores.
Sed mox ingrediens ludi penetrare, quietus
Occupet absq; leui garrulitate locum.
Nec sit uicinis ulla ratione molestus,
Non extra proprium cedat eatq; locum.
Aut legat, aut scribat, memori uel mente reuoluat
Dicta prius, nil quo de deccretur agat.

Vitef

SCHOLASTICA

Vitet clamores, pugnas, conuitia, ludos,
Futile colloquium, iurgia, seomina, dolum.
Preceptore probus sit non presente, probatur
Discipuli probitas, quando Magister abest.

IIII.

Mane canant omnes coniunctis uocibus hymnum,
Ignea quo petitur flaminis aura sacri.
Surgat quem tangit pueris ex omnibus ordo,
Et Psalmum clara uoce precesq; ferat.
Ex sacris Biblijs caput hac post uota legatur,
Attendat tota cetera mente cohors.
Ut studium a precibus: sic incipiatur & hymno,

Hasce preces uanas non sinit esse Deus.

*Reuerite ludo solita cum hinc p[er] r[ati]o
coniuat[ur] etiam uol[unt]at[is] ante canant*
Qui recitare fuit iussus, quae lecta fuerunt,
Id totus clara uoce paratus agat.

A pueris surgens alijs secedat, & omnes
Deponat libros, est id utrumq; bonum.
Hoc quia non pacto recitanti admurmurat alter,
Nec fallit recitans inspiciendo librum.
Est dolus arcendus talis medicamine tali,
Torpor ut a pueris excutiatur iners.
Qui fidit solis libris male proficit, artis
Est, quicquam clauso dicere posse libro.

VI.

Cum legitur, sedeant attenta mente quieti
Omnes, & quae sunt dicta notanda notent.

B

Excis

DISCIPLINA

Excipiant chartis ea quæ sunt digna notatu,
Scripta manent, sed non auribus hausta manent.
Abstineant risu, uel murmure prorsus ab omni,
Improbitas castis absit inepta scholis.
Quisquis in hoc ipso fuerit peccare notatus,
Respectu pœnas quolibet absq; dabit.
Inter discipulos non est respectus habendus,
Discrimen probitas sola modesta facit.

VII.

Omnibus in scannis absentes annotet ille,
Quem ratio officij uel uocat ordo loci.
Si nec is esse potest ob iusta negotia præsens,
Hoc tamen officium curet ut alter agat.

VIII.

Dimissi è ludo, nullo clamore modesti
Ordine, quo fuerit quisq; locatus, eant.
Præcurrens alios non impunitus abibit,
Addictos studijs ordo pudorq; decent.
Ante sed è ludo quam dimittantur, ad unum
Omnes mox iterum cantica sacra canant.

Una mens
Sunt hora prima po prandia qn X reuerti
mox Quando reuertuntur post prandia, perlegat unus
uqut ex Biblijs Ex Biblijs iterum, cum cecinere, caput.

Manè caput ueteris testamentiq; legatur,
Quando sonum uerò prima dat hora, noui.

X.

Nemo in Cœnobio structuras siue fenestras
Frangat, ibi quenquam dedecoretue locums.

SCHOLASTICA.

XI.

Est ornamentum iucunda modestia magnum,
Sic discens igitur quilibet huius amans.
Atq; uerecundus studeat seruare decorum
In dictis, factis, gestibus, inq; gradu.
Egrediens ludo uitet quoscunq; uiarum
Circuitus, recta mox sua tecta petat.
Nudet proq; uiris graubus, senibusq; pijsq;
Matronis, castis uirginibusq; caput.
Ut probet e ludo sese prodire modesto,
Et non e caula sordidior luto.

XII.

Iussa domi peragat puer unusquisq; parentum,
Quod Dominiue iubent, officiosus agat.
Addictos siquidem Musis, decet esse uicissim
Gratos, hospitibus morigerosq; suis.
Sit sine lite domi pacem turbante modestus,
Nec sit multiloqua garrulitatis amans.
Sunt homini geminae factae diuinitus aures,
Est illi tantum lingua sed una data,
Atq; patent aures, uallantur dentibus ora,
Plus audire, minus nouerit ergo loqui.

XIII.

Discipuli repetant in nostra, qualibet hora
Que praecceptores proposuere, schola.
Praelectum primo discant exponere textum,
Ipsius summam concipiantq; breuem.

B I

Gramm

DISCIPLINA

Grammaticam studeant inuestigare, uenustas
Infigant animo præcipuasq; phrasēs.
Fabellas etiam, prouerbia trita, locosq;
Communes, & quæ sunt benè dicta notent.
Tempus inutiliter caueant consumere segnes,
Non quia præterijt quæ semel hora, redit.

XIIII.

Compositis manibus flagranti cordeq; fundant,
Post ut & ante cibum uota precesq; Deo.
Ad mensam studeant potuq; ciboq; paratam,
Non secus ac aram uadere, non ut haram.

XV.

Ire uolens cubitum grates ex pectore dicat
Imo, pro meritis præsidijq; Deo.
Oret & in Christi supremum nomine patrem,
Vlterius clemens ut Deus esse uelit.
Ipsi commendet cognatos, atq; parentes
Ac præceptores, se, studiumq; suum.
Proq; Magistratu, cætuq; precetur eorum,
Qui sacrum à Christi nomine nomen habent.
Et quia prælectum repetens meditatio prodest,
Auditum uigilans cogitet id quod erat.
Ac ita quotidie consideret ante soporem,
Præterito didicit quæ memoranda die.

TITVLVS TERTIVS.

De vestitu & non gerendis
armis.

Lex

SCHOLASTICA.

Lex I.

Discipulos uolumus nostros quoq; uestibus uti
His, quæ Musarum castra togata decent.
Qui caligis laceris gaudent, equitumq; cucullis,
Martis, non artis, præstat adesse gregi.

II.

Euitent sordes, in amictu simplice, mundam
Atq; uenustatem quæ satis ornat, ament.

III.

Charta, libri, calamus, sunt arma, scholasticus ordo
Quæ nostro simplex in grege sola gerat.
Bombardas, enses, glandes, gerat horrida miles
Arma, quies Musis, Mars ubi regnat, abest.

TITVLVS QVARTVS.

De cauendis periculis, animi
& corporis.

Lex I.

Non secus ac animi fugiant & corporis hostes
Immodicum potum, luxuriamq; cibi.
Non adæcant potus Bacchi Cererisq; tabernas,
Non Musæ strepitus, oia mentis amant.

III

Noxia scurrarum leuium consortia uitent,
Nam malè corrumpunt inficiuntq; bonos.
Talis eris, quales sunt, quos tibi fœdere iungis,
Tacta solet niueas pix maculare manus.

B 3

12

DISCIPLINA

IIII.

In plateis noctu sine causa uergetur,
Discursus noctis saepe silentis obest.

V.

Se nemo credat praeterlabentibus undis
Ut natet, aestiuo tempore quando tepent,
Credere fluminibus sese fallacibus ausi,
Saepius in medijs emoriuntur aquis.

VI.

Flumina frigoribus cum bruma coegit acutis,
Discurrat fesus nemo per illa gelu.
Multoties talis pueros audacia laesit
Confracta costa, crure, uel osse manus.

VII.

Depopulatores hortorum, uitibus uuas
Clam decerpentes, non schola nostra feret.

TITVLVS QVINTVS

De exercitiis.

Lex I.

Est exercitij uis maxima, maximus artis
Est usus, discens ergo sit huius amans.
Plurima quotidie uigilans ediscat ad unguem,
Mens hebes exacui quo quasi cote solet.

II.

Ars exercitio scribendi cognita iuncto,
Cum pariat doctos eloquiumq; ferat.

Argum

SCHOLASTICA.

Argumenta, sibi data quæ uertenda fuerunt,
Reddant, exhibeant Mercurijq; die.

Vtantur uerbis in eis phrasibusq; probatis,
Prælectus quales quilibet autor habet.

Reddere structuræ rationem sintq; parati,
Id magis intentos quoslibet esse facit.

In prima Logicam, quoq; uerum in classe secunda
Grammaticam debent hoc recitare die.

III.

Discipulis studium scribendi carmina prodest,
Ponet in hoc operam quilibet ergo suam.

Terfius hi dicunt, benè qui tetigere Poësin,
Optima uerborum pondera namq; sciunt.

Qualibet hebdomada simul ergo carmina nectent,
Scribere ne tantum uerba soluta sciant.

IIII.

Inter se nostros uolumus sermone latino
Vti discipulos, quos schola nostra fouet.

Hoc exercitium quia uerba latina loquendi
Non magna in studijs utilitate caret.

Transfert dicendi formas Ciceronis ad usum,
Quasq; phrasas puras quilibet autor habet.

V.

Cum datur à nostro consueta uacatio ludo,
Quæ data sunt, debent uertere scripta domi.

Siq; uolunt animi recreandi ludere causa,
Ludere post illud, non prohibemus eos.

DISCIPLINA

*Si modè sint ludi (uelut esse iubentur) honesti,
Venandi, lucri non quibus insit amor.*

V I.

*Progressus uolumus nos explorare quotannis
Bis, quod ad examen se benè quisq; pareat.
Ut ratione sui profectus inde locetur,
Ac sicut dignus promoueat, erit.*

TITVLVS SEXTVS.

*De admittendis & dimittendis
discipulis.*

Lex I.

*Huius nos ludis ex particularibus urbis
Discipulum nostræ nolumus esse scholæ.
Hunc nisi uel Pastor, uel ludi Rector ut aptum
A se dimissum testificatus erit.
More uel antiquo sua post examina dignum
Ad nostram mitti senserit esse scholam.*

II.

*Iuxta Grammaticæ leges admittimus artis,
Qui tolerabiliter neçtere uerba sciunt.*

III.

*Non quoq; suscipimus peregrinum, littera testis
Ni benè quod sese gesserit, ante probet.
Admissos temerè, docet experientia toti
Factos dedecori sæpè fuisse scholæ.*

Qui

SCHOLASTICA:

IIII.

Qui uult à nobis aliò discedere, gratus

In præceptores ille sit ante suos.

Cogitet ingrato nihil esse nocentius, olim

Qui quoduis uitium dictus habere fuit.

Munera non petimus non uenamurq; lucella,

Ante ualedicas cuius es usus ope.

Aequiualens precium non reddi posse parenti

Ac Præceptori dixit Aristoteles.

Ex animo grates ferat ergo, scholasticus ausus

Nec proprio nostræ desinat esse scholæ.

Publica non adeat prius ad collegia, quam sit

Per præceptores cognitus aptus eis.

V.

Morigeros alijs benè commendabimus omni

Officio, à nobis cedere quando uolunt.

TITVLVS SEPTIMVS.

De canentibus ostiatim figurali

Musica, & officio Re-

gentum.

LEX I.

ANte figuralem qui exercent ostia cantum,

Ornatos uolumus moribus esse bonis.

Ut sint in ciues grati, uideantur & esse

Digni, danda piæ sunt quibus æra stipis.

B S

Per

*Ex uoluntate q' uult
aliò discedere ludo,
sit p'ceptores gratia
is ante suo!*

ui

pluteas DISCIPLINA

Per uicos urbis incedant ergo modesti
Ac bini, rixas effugiantq; leues.
Ex horum numero puerorum nemo uagetur,
Ordine, quo fuerit iussus ut iret, eat.

I I.

Cum coetu cupiunt hoc se quicumq; canenti
Qualibet ex Parochi consociare schola.
Non recipi debent, à præceptore priusquam
Litterulas testes hoc cupiente ferant.

I I I.

Non ullos etiam coetu patiemur in illo,
Qui non in nostra sint aliaue schola.
Sub certis discant ubi præceptoribus artes,
Aut spes est doctos quos fore nulla uiros.
Progressus igitur quo cognoscantur eorum,
Omnes censuræ subiiciemus eos.
In quouis id bis fietq; fideliter anno,
Ut pateat digni num uideantur ope.
Indigni siquidem, nec opem, nec dona merentur,
Discrimen fucos extet & inter apes.

I I I I.

Quattuor in partes cum sit distinctio coetus
Facta, Regens præsit non malè quisq; suis.
Sed tempestiuè præsens, neq; tardior adsit,
Præbeat exemplum semper eisq; bonum.
Qui regitur, sequitur uestigia namq; regentum,
Hi quod agunt, licitum credit id esse sibi.

Distris

SCHOLASTICA.

V.

Distribuant rectè uoces, cantumq; Regentes
Cum baculi tactu conueniente regant.

VI.

Intendant coetus puerorum quisq; regenti;
Ipsius ad tactum seq; canendo gerat.
Attentèq; bonos caueat confundere cantus,
Offendens aures nascitur unde sonus.
Eius conuictus causam præbere uel ansam,
Errati poenas pro ratione dabit.

*Quoq; uocatus fuerit
honorarius ille*

VII.

Insuauem reddit quia festinatio cantum,
Asseruent tactus pro ratione modum.
Nec simul in platea duo coetus ædibus una
Diuersis, stolidæ cantica uoce canant.
Ad duo disiunctim sic ostia quando canuntur
Cantica bina simul, neutra placere queunt.
Ergo duos si fit pariter concurrere coetus,
Coniungant unas se simul ante fores.
Coniunctimq; canant, confusio dissona possit
Hoc ut uitari conueniente modo.

VIII.

Prætereant etiam canitur quibus ostia nulla,
Contempsisse stipis ne uideantur opem.

IX.

Conuiuas sponsi cantu exhilarare rogati,
Gestibus abstineant turpibus atq; iocis.

Mon

DISCIPLINA SCHOLASTICA.

Non obscena canant, non impia cantica, iussi
Cedant, non onerent ebrietate caput.

X.

Vt sint in promptu præstantia cantica curent,
Queq; cani possint ciuibus ante fores.

XI.

Aeris inæqualis ne sit diuisio parti,
Præceptor præsens, hæc ubi fiet, erit.

XII.

Quisq; suam partem benè collocet, inq; tabernis
Non malè consumat perditionis amans.
Ne ciues agrè perdi sua dona ferentes,
Vlterius solitam ferre grauentur opem.
Hanc legem turpi quisquis uiolauerit ausu,
Ille luet poenas pro leuitate graues.
Si uice peccarit post interualla secunda,
E numero coetus eijciemus eum.
Non uolumus nebulo nocuus sit ut omnibus unus,
Infamis totum dedecoretq; gregem.

XIII.

Compositus
Pectoris ingrati ne possit labe notari,
Se præstet gratum ciuibus ipse puer.
Pro quorum semper fundat pia uota salute,
Et quod heri mandant officiosus agat.
In templis solitis cantus iuuat omnibus, orat
Hanc cuiusq; scholæ cum moderator opem.

RATIO

RATIO DOCENDI, vel ordo studiorum.

Prima sacrae nostros pueros elementa docemus
Doctrinae in nostra sedulitate schola.

Tractamus primas illisq; fideliter artes,
Autores una praelegimusq; bonos.

Vnde uenit sermo, grauiumq; scientia rerum,
Efficiunt doctos quae duo iuncta uiros.

Addimus autores Graecos Tyronibus aptos,
Ac explanamus conuenienter eos.

Rectius ut Graecam linguam pariterq; latinam
A teneris annis discere quisq; queat.

Ad captum nostri gregis est aptata docendi
Artes in nostra forma modusue schola.

Inculcamus enim praecpta in qualibet arte
Singula dicendi simplicitate breui.

Ac declaramus cum conuenientibus illa
Exemplis, usum quae simul artis habent.

Discipulos etiam nostros praecpta iubemus
Discere, et exemplis reddere clara suis.

Insuper exigimus rursus quae lecta fuerunt,
Hoc horae fieri parte priore solet.

Tradimus autores sic, exponamus ut illos
Ad uerbum, noster primus is estq; labor.

Dictamus breuibus uerbis quoq; postea summam,
Dictaq; colligimus, quae bona textus habet.

Hec quia de rebus multis hortantur honestis,
Ad pueri mores expediuntq; bonos.

Grammaticae

RATIO DOCENDI.

Grammaticæ excutimus præcepta, fuere monemus
Dicta figurato quæ proprioue modo.
Dicendi electas dictamus deniq; formas,
Ac ediscendas iungimus hæc phrasas.
Monstramus quidnam metricus, quid sermo solutus
Approbet, & contra non quid uterq; probet.
Vtq; semel dicam, quæ sint imitanda monemus,
In quouis & quæ non imitanda libro.
Grammatici est uirtus quædam nescire docentis,
Omnia non uno suntq; docenda loco.
Non igitur pueros multis oneramus, ad ipsam
Quæ modo rem faciunt excipienda damus.
Ac exercitium scribendi urgere solemus,
Officij memores qualibet hebdomada.
Materiam scripti dictamus namq; soluti,
Argumenta simul carminis atq; damus.
Ac emendamus scriptum cuiusq; notantes
Regula Grammaticæ si uiolata fuit.
Vt uitent dictum durè insoliteq; monemus,
Ac id qua fieri commoditate decet.
Interdum quædam quia dissimulare solemus,
Ne studium ex odio deserat omne puer.
Multi desperant execranturq; labores,
Deleri in scriptis omnia quando uident.
Bis quoq; discipulos examen quolibet anno
Nostros, cum menses sex abiire, probat.
Vt benè progressus per id explorentur eorum,
Iuxta quos dignè promoueamus eos.

FOR

*FORMA PRECATIVN
CVLAE, VERSIBVS HEXAMETRIS
à M. Antonio Mokero compræhenſa,
quam manè vnus è cœtu primano-
rum ſurgens, poſt cantilenam Veni
ſancte Spiritus, &c. quatuor vocum,
in poſterum recitabit, & lectioni
capitis Bibliorum
præmittet.*

*O Mnipotens, æterne Deus, pater optime Ieſu
Chriſti, totius fabricator maxime mundi,
Ac in eo rerum ſeruator & vnice rector,
Defenſorq; tuo cum gnato & flamme ſancto,
Ingentes grates tibi ago de pectore toto,
Humano generi quòd te patefeceris, atq;
Miſeris in terras gnatum clementer Ieſum,
Nos ut ab æterna ſaluaret morte redemptos,
Atq; cohæredes uitæ ueræq; ſalutis
Æternæ faceret, quòd nunc in fineq; mundi
Dona tui uerbi dederis puriſſima ſancti,
Et cum linguarum ſtudijs florentibus artes,
Inuoco te ſupplex uotis ardentibus, orans,
Conſerues inter nos hæcut maxima dona,
Atq; tuos cœtus tue areregasq; piorum,
Defendasq; ſcholas, & quæ ciuilia regna
Hoſpitiū nobis præbent diſcentibus artes.
Conſerua noſtros patronos atq; parentes,
In pietate diu ſaluos & corpore ſano,*

Dd

PRECATIVNCVLA.

Da uictum nobis, & quæ bona cætera corpus
 Sustainant, faciles discendi suffice uires
 Ingenijs nostris, studiorum commoda confer
 Incrementa, bonos conatus prouehere nostros,
 Impellente tuo diuino flamine mentes,
 Officium nostrum studio faciamus ut omni,
 Atq; fide, uires da præceptoribus, illos
 Ac rege, quos hodie nobis bonitate dedisti,
 Cum fructu nobis ut conducentia tradant,
 Et nos doctrinas auidè arripiamus eorum,
 Nominis inq; tui laudem fiamus honori
 Patronis nostris, nostrisq; parentibus, utq;
 Utiliter templis Christi seruire queamus,
 Siue scholis, mundi reliquis statibusq; decoris.
 Et quia temporibus postremis, ante diei
 Iudicium Satanas extremi circuit atrox,
 Et quærens populos rabido quos deuoret ore,
 Grassatur, fremitu furit, extinctosq; piorum
 Coetus atq; scholas cupit, & ciuilia regna,
 Te precor ardentè dilecti nomine nati,
 Ut reprimas sæui rabiosam Dæmonis iram,
 Ipsius & frangas uim, compescasq; furorem,
 Noticiamq; tui uerbi, linguasq; bonasq;
 Artes & leges, quibus est Respublica felix,
 Integras inter nos omni tempore serues,
 Ut nos non solum, sed & omnis nostra deinceps
 Posteritas, uerè te noscat & inuocet unum,
 Non dubitante fide, colat, & ueneretur ubiq;
 Hac in præsentì uita, pariterq; futura.

Eadem

PRECATIVNCVLA.

*E ADEM PRECATIVNCVLA
cula soluta oratione proposita, à Se-
cundanis recitanda.*

OMNIPOTENS, æterne, & uiue Deus, æter-
ne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor
omnium rerum, conseruator & opitulator, cum Filio tuo
coæterno Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto
tuo, ago tibi gratias toto pectore, quòd immensa bonitas
te, certis & illustribus testimonijs, generi humano te pas-
tesecisti, misso filio tuo Domino nostro Iesu Christo, ut
nos à morte & æterna damnatione liberaret, & ueræ
salutis ac uitæ æternæ cohæredes efficeret, & nunc in
hac postrema mundi senectâ sancti tui uerbi, artium, ac
linguarum utilium lucem iterum accendisti. Te supplex
inuoco & oro, ut hæc ingentia tua dona, diutius inter nos
conserues, & regas defendasq; Ecclesiam tuam, Scholas
& politias, quæ nidum & hospitium nobis præbent.
Conserua etiam nostros parentes ac patronos, in uera
pictate, & longæua incolumitate, da nobis uictum &
cætera bona corpori necessaria. Exuscita in nobis gra-
tiam discendi, confer studiorum salutaria incrementa, &
proueche nostros conatus, ut spiritus coelestis tui instin-
ctu officium nostrum sedulo & fideliter efficiamus. Ad-
iuua etiam & rege clementer Præceptores, quos dedisti
nobis, ut utilia nobis tradant, & nos eorum doctrinas
auide & serio arripiamus, intelligamusq; & in gloriam
nominis tui, parentibus nostris honori fiamus, atq; Eccles-

C sic

em



PRECATIVNCVLÄ.

Sic & Reipub. piè & utiliter seruire possimus. Cumq; iam ante nouissimum diem Diabolus rabiosissime grassetur, & Ecclesiam pariter, Scholas & politias honestas extinctas uelit, ardentibus uotis oro, ut ipsius tyrannidem & furorem reprimas, ac clementer noticiam uerbi tui, artium, linguarum & legum, quibus politica Christianæ continentur, inter nos incorruptam custodias & tuearis, ut non solum nos, sed etiam tota nostra posteritas, te uere agnoscat, & firma fide atq; inuocatione, cum in hac, tum uerò in æterna uita plenissime colat & celebret, Amen.

De Classibus Pædagogii Augustiniani.

PRUDENTISSIMVS Senatus ampliss. Reip. Erphordianæ, intelligens Ecclesiæ & Reipub. felicitatem, disciplina & educatione puerorum in Scholis contineri augeriq; , ordinauit ante annos plus quam uiginti, ut Pædagogium Cœnobij Augustiniani, sit Schola quædam media, inter Academiam siue Collegiũ magnum, & cæteras Scholas particulares, Parochijs adiunctas. Non igitur indifferenter puerorum quemlibet admittimus, sed idoneos recipimus, ut præparentur ad audiendas lectiones superiorum artium & facultatum publicas in collegio. Atq; ea de causa, more huc usq; ab antecessoribus nostris obseruato, Schola tota in duas tantum classes distributa est, quarum utraq; , quas lectiones per hanc æstatem auditura sit, nunc subiiciemus.

ORDO

ORDO LECTIONVM.

ORDO LECTIONVM, IN
classes distributarum.

Die Lunæ & Martis, manè hora 7. prælegitur Dia-
lect: Primanis.

Bucolica Virgilij. Secundanis.

Hora 8. Aeneid. Virgil. lib. 3. Primanis.

Ouidij tristia, cum repet. Gram: Secundanis. *Proso d.*

A prandio hora prima, Græca Grammatica Philippij
Melanchthonis prælegitur Primanis, quorum paucis in
Græca lingua exercitioribus, sedentibus in supremo
scamno, more ab antecessoribus etiam seruato, iudicio
præceptorum ut idoneis, permissum est audire unam
atq; alteram lectionem publicam in Collegio magno, ibi
demq; interesse enarrationi Poëtarum Græcorum prima
cipis Homeri.

Poëma Græcum Pythag: & Phocyl: Secundanis.

Hora 2. Syntaxis omnibus.

Hora 3. Terentius omnibus.

Die Mercurij, hora 7. recitatur Catechismus, &
Primani in Dialect. & Rhetor: Secundani in Gram: exa
minantur.

Hora 8. scripta tam soluta quam ligata emendantur,
& postea noua materia distincte Primanis & Secunda
nis dictatur.

Vt autem exercitiores pariter cum styli exercitio,
Historiarum quoq; cognitionem aliquam hauriant, ipsis
historiæ ex Monarchia Romana uertenda proponuntur.

ORDO LECTIONVM.

Die Iouis & Veneris hora 7. prælegetur Oratio Ciceronis pro Archia, in qua ostenditur artificium Rhetoricum & dispositio iuxta præcepta Rhet. hætenus absoluta. *4. 11. 1. Rhetor.*

Historie Sacre Fabricij, Secundanis.

Hora 8. Psalter: Eobani Hesi, Primanis.

Prosodia & Ratio recte viuendi ab ineunte etate, M. Antonij Mokeri, pro Secund: *O. v. l. 1. 1. 1.*

A prandio hora 1. Orationes Isocratis, in locum absoluti Theognidis, Primanis.

Compendium ex Græca Gram: Philip: Melanchthonis excerptum & contractum à M. Matth: Dresero, Secundanis.

Hora 2. Gram: ετυμολογική omnibus.

Hora 3. Epistolæ familiares Cicero: omnibus.

Die Saturni hora 7. Catechis. Lutheri omnibus.

Hora 8. Euangel. Græca & Epistolæ alternatim.

Primanis idoneis hora 8. conceditur, ut eo die intersint publicæ disputationi Magist: in Collegio magno, & argumenta eorumq; solutiones audiant, & calamis excipiant.

M. Antonius Mokerus.

M. Nicolaus Gebhardus.

M. Simeon Binckebanck.

M. Christoph: Grisbachius.

Elegia

ELEGIA AD NO-
BILEM ET CLARISSI-
MVM VIRVM, PIETATE, DO-
ctrina & virtute præstantem, D.
GEORGIUM LENEMANNVM, I. V.
Doctorem, ampliss: Reip: Erphord:
Syndicum, & Comitum Palati-
num, amicum & fautorem
suum honorandum.

M. A. M.

E SSE Scholas hominum cœtus quoscunq; pigrorum,
Vulgus opinatur, qui nihil artis habet.

Et, quia non harum ueros intelligit usus,
In precio doctos non habet ipse uiros.

Sed uirtute uiris sapientibus arteq; claris,
Cecropiæ magno sunt in honore Scholæ.

Inde sciunt etenim nasci genus omne bonorum,
In uitæ quosuis & penetrare status.

Hinc uelut è sacro promanat fonte Sacerdos,
Qui purè docet, & monstrat ad astra uiam.

Iustitiæ uenit hinc interpretes atq; Sacerdos,
Ius benè decernens, utraq; pars quod habet.

Hinc sapiente uenit cum Consule Syndicus æquus,
Principium prudens inde Senator habet.

Inde Machaonias exercens prouenit artes,
Qui morbos medica scit remouere manu.

Hinc ortum, linguas quisquis profitetur & artes,
Siue sit hic Doctus, siue Magister, habet.

C 3

Hinc

E L E G I A.

Hinc uenit historia scriptor, Phœbiq; poëta
 Cultor, & orator, gymnasiarcha bonus.
 Oeconomus frugi pater hinc uenit, educat omnes
 Qui benè filiolos filiolasq; suas.
 Subditus inde uenit, qui paret tempore pacis
 Ac belli, faciens, se quod ubiq; decet.
 Inde uenit summi fructus iucundus honoris,
 Quem confert Cæsar nobilitante manu.
 Nobilitas celebris uel Marte uel arte paratur,
 Pallas bellipotens est utriusq; Dea.
 Inclÿta summorum sapientia mater honorum,
 Pacis item belli tempus utrunq; regit.
 Castrensis uirtus iuuat armis tempore belli,
 Cum pax est uirtus lege togata, iuuat.
 Contendunt multi, præstantior utra sit harum,
 Par honor ex merito cum sit utriq; suo.
 Vnius est siquidem thesaurus uterq; Mineruæ,
 Vnius est uiuax huius utrumq; decus.
 Si tamen alterutrum quis opus minus aestimet esse,
 Non artis decori præfero Martis opus.
 Ars animo siquidem pugnat, Mars corpore pugnat,
 Plus animus fragili corpore laudis habet.
 A teneris annis artes discuntur, & usu
 Firmantur longo, plusq; laboris habent.
 Mars minus annorum sed habet, minus atq; laborum
 Mars rarò quid agit, semper at ars quid agit.
 Nobilitas igitur, qua donat Cæsar ob artes,
 Altera quàm fuerit, non minor esse potest.

Hæc

ELEGIA.

Hac te donauit, Doctor, uirtutis & artis
Teste tuæ, Cæsar nobilitate potens.
Namq; Palatinum comitem te summa creauit
Maiestas eius, iusq; fauore dedit.
Ut conferre alijs uirtutum præmia possis
Tanta, Palatinus scit dare quanta Comes.
Gratulor hunc summum tibi Syndice Doctor honorent,
Dignus es hoc propter maxima dona tua.
Qualia sunt pietas, uirtus, doctrina, Scholarum
Cura, lepos oris, iustitiæq; fauor.
Commendare licet, quæ longo carmine possem,
Non celebrare tamen pluribus illa uolo.
Offendit talis quia commendatio magnos
Sæpè (satis quamuis uera sit illa) uiros.
Ac assentandi sine suspitione putatur
Vix fieri, nimia laude uehi fit onus.
Oro Deum Patrem, qui fons est omnis honoris,
Atq; boni, felix sit tuus hic ut honos.
Seruiat ut laudi diuinæ, commoda toti
Romano imperio multa sacroq; ferat.

LEGES SCHOLASTICÆ,

D. ADAMI SIBERI.

Primùm quod absq; moribus scientia
Vana omnis est, uenerans Dei numen cole.
Scopum tibi proponens studiorum omnium,
Nihil Dei Christiq; præter gloriam.

C 4

Ne

L E G E S

Ne fiat insensum illius numen tibi,
 Seruare te iubeo præcepta, quæ dedit,
 Quibusq; nil magis execratur omnium,
 Peccata toto fugere mentis impetu,
 Magis indies bonum piumq; euadere,
 Veramq; cordis innocentiam sequi.

Verbum illius nunquam malè pius despice,
 Sed omnibus, quæcunq; sacra continet
 Scriptura, crede, namq; uerax in suis
 Verbis Deus pœnas innotatur improbis.
 Iustis idem & pollicetur præmia.

Quod si tamen (hominum qualis imbecillitas)
 Errore lapsus, inquinasti turpium
 Te sordibus uitiorum, ad aram confuge,
 Aram Dei dico perennis filium,
 Qui morte tristi nostra finiuit mala,
 Quem propter & miseratus omnium Deus,
 Spondet salutem perpetim credentibus.

Ingrata nulla adeò tibi hora transeat,
 Qua non sit ante oculos Dei benignitas.
 Christi q; laudes usq; & usq; concinas,
 Seu uesperis somno & quieti collocas
 Defessa membra, oculis soporemq; accipis:
 Seu manè surgens ad studia accedis tua,
 Ingenio ut ille lumen infundat, roga.

Poscens opem prece, & benignam gratiam.
 Cibum prius non inuocato numine
 Ne quando sumas, nam Deus, qui condidit,

Sustentat

SCHOLASTICAE.

Sustentat idem, datq; corpori dapes,
Fameq; dempta praestito pro munere,
Grato preces eidem funde pectore.
Adeoq; quicquid incipis rerum omnium,
Ut numine suo astit tibi Deus, roga.
Nam, quas fauore suo regit bonitas Dei,
Habere prosperum res exitum solent.

Festis diebus conciones publicas

Attentus audi, quaeq; dicuntur, pia
Exprimere uita, & moribus sanctis stude,
Nec garriendo turpiter te unquam gere
In aede sacra: non homines tantum uerens,
Sed potius ipsum Deum, & beatos Angelos.

Iusto parentes (sic Deus iubet) cole

Honore, nec non mentis atq; animi patres,
Qui literis te, quiq; moribus bonis
Sic instruunt te ad omne uirtutis decus,
Ama, reuerere, & omnibus semper modis
Parere mandatis & obsequi stude.
Illos iubere, te decet iussa exequi.

Fac in scholam hora constituta uentites,

Armis tuis instructus, ac sine uenia
Absis, quod improbi faciunt, non saepius.

Ingressus auditorium nuda caput,

Haud fabulare, tempus haud male transige,
Semper tuum sed occupa tacitus locum.

In lectione agito, relictis omnibus

Ineptijs, quod ille flagitat locus.

A S Ab

LEGES

Ab ore pendens, te docentis, annotas,
Quæcunq; dicit, ut cotidie doctior
Fias. Sine namq; nemo diligentia
Receptus intra est Pieridum sacraria.
Ediscere quod iuberis, omne ediscito,
Et memoria constare doctrinam puta.
Cum recitat alter, ne quid illi admurmures,
Namq; insusurratio illa plurimum impedit
Discentium cursum atq; diligentiam.
Non contumax, non peruicaci audacia
Rebellis, unquam obsiste eis, qui te docent,
Sis gratus illis atq; pro laboribus
Grates agito, dum te docentes literas
Nil tædij non deuorant, & in tua
Non inuehuntur spontè delicta acrius.
Qui literas amat, ille amat quoq; corrigi.
Germanicè non loquitor ulli æqualium,
Verbis Latinis ac locutionibus
Animi latentem sedulus sensum explica.
Epistolas, quas iussus es componere,
Fac præstituto semper offeras die.
Nam scriptione plurima nisi stylum
Exerceas, ac scripta corrigi sinas,
Omnem laborem frustra, oleumq; insumseris.
Dimissus è ludo, uias per publicas,
Aedes tuorum non lasciuiens pete.
Quod Sol dici, hoc est puero modestia.
Si quis senex fit aut senator obuius.

Tibi,

SCHOLASTICAE.

Tibi, aut minister uerbi, honestaue foemina,

Decede de uia, atq; humilis nuda caput.

Domi parentum, quiq; eorum sunt loco,

Mandata strenue ac dextre perfice,

Non ociosos perde negligens dies.

Iactura nulla maior est, quam temporis,

Quin à Magistro, dicta seu de moribus,

Seu literis inscribe pectori memor.

Non sit tibi ulla cum altero discordia,

Nefas nocere, uel malis ingens puta.

Patiare potius, quam facias iniuriam.

Si forsitan illam quis prior tibi intulit,

Aut perfer, aut si maior atq; indignior.

Quam ferre debeas, eam ad tuos refer,

Homini equus ipsi, uerum iniquus crimini.

Tu uerbera nullum, nec ulli irascitor,

Nullum execrare optando quid damni aut mali,

Amore fraterno sed omnes dilige.

Commertium hominum uita imprimis improbum,

Aliena fraude, uiq; aperta non rape.

Restitue, si quid inuenis, domino suo.

Ne quid tamen perdas tuorum, sedulo,

Vestes, libros, & quicquid est, custodias.

Nunquam superbo pectoris fastu tumens,

Crepanis inanes arroganter glorias,

Præpone te alijs, neminemq; despice.

Ne mentiaris, friuolos odit Deus,

Vera audi, amaq; uera, uera dicito.

Nihil

L E G E S

Nihil est amore ueritatis pulcrius.
 Latere nullum facinus occultum puta,
 Et liber omni quamuis arbitro locus,
 Tamen uerere ubiq; praesentem Deum,
 Oculi uident notantq; cuius omnia.
 Sed nec loquaris aliquid unquam obscenius,
 Nec enim proteruè facere quid, solum est scelus,
 Verum loqui etiam turpia, & quæ non decent.
 Tace igitur, aut sit sermo de rebus bonis,
 Raros silere lingua multos perdidit.
 Ne riseris, cum nulla risus causa sit,
 Nec iniocos sis Timon aut Socrates.
 Non breuibus atq; dissecatis uestibus }
 Incede, uti miles atq; uenator solent.
 Sit apta tunica, calceus decens, toga,
 Qualis modesto, & non superbo conuenit.
 Lusus malorum originem fuge, omnium
 Vita choreas, & loca turpitudinis.
 Cerere atq; Baccho temperanter utitor,
 Luxuria uires mentis atq; corporis
 Frangit, uenenum Colchicis nocentius,
 Vbicunq; crapula regnat, uirtus exulat.
 Aestate, aqua caue lauare frigida,
 Ne, plurimis quod contigit, uitam miser
 Summersus undis, finias turpissimè.
 Atq; ut breui tibi retexam singula,
 Reuerere dictis, factis omnibus Deum,
 Vitamq; sic totam instrue, ut ne præbeas

Ansam

SCHOLASTICAE.

Ansam inuidis calumniandi, aut improbis.
Nec unius culpa audiant omnes male,
Tibi impera ipse, ad resq; honestas erige
Sensus iacentes, parte meliore utere
Mentis: Quod enim uidemus, eheu, plurimos
Moechos, homicidas, belluones, belluas,
Non est Magistri culpa, non semper patris,
Sed mentis atq; perditis uis ingenij.
Aetate fruiere, quæ citò cursu fugit,
Nec ulla segnis aut iners eat dies,
Sed usq; studijs deditus uaca bonis.
Sic fiet, ut laudem & perennem gloriam
Bonis feras in literis, nec non opes
Tibi compares, quas nullus eripit dies.
Nam cuncta pereunt, sola perpetuo manent
Expertia necis, mentis atq; animi bona.
Quin ipse, qui ad sese iubet pueritiam
Primis uenire Christus ab incunabulis,
Aderit fauore, ut inter illustres uiros,
Sis utilis patriæ, atq; Ecclesiam Dei
Ornes eruditione & moribus.

F I N I S.

MODESTIS ET AMAN-
TIBVS ERVDITIONIS
Solida adolescentibus, PAVLO, & IOHANNI
DRACHSTEDT, fratribus germanis, eximij &
prestantis uiri, D. M. PAULI DRACH-
STEDT, filijs, D. M. PAULI DV-
MERICHII. P. M. ex sorore
nepotibus.

Ardorem, cursum, studium, fouet, incitat, auget,
Follis, calcar, honos, ignis, equi, iuuenum.
In studio uobis sint calcar auunculi honores,
Mente, manu, lingua, quos probo, scribo, loquor.
Vos doctrina patris, uirtus, & gloria stirpis,
Incitet ad ceptum pergere laudis iter.
Res alias perdit uel uis, uel flamma, uel unda,
At pietas, uirtus, ars, bona fama, manent.

EPITAPHIUM, PIETATE,
DOCTRINA, VIRTUTE, ET SENI-
lis iudicij maturitate prestantis uiri, pie memoriae, D.
M. PAULI DVMERICHII, Halosaxonis, pri-
mi Rectoris, scholae Cœnobij Augustiniani, apud Erphore-
denses, ibidemq; in Academia Græcæ Linguae & Mat-
thematum Professoris, sui amici & collegæ honorandi,
& in officijs ac professionibus quibusdam antecessoris,
19. die Iulij, Anno 1583. Erphordiae pie defuncti,
& in templo Diui Michaëlis sepulti.

Hac recubat sicca, PAVLVS TVMERICHIVS Vro
Amplexus uerum speq; fideq; Deum. (na
Hallensis

Hallensis patria, multæ uirtutis & artis,
Linguarum præstans cognitione triumpho
Vrbis Leucoræ sub Præceptore Philippo
Et reliquis quondam clara Lycea colens.
In quibus est Sophia quoq; functus honore Decani,
Ipsorum sicut publica scripta probant.
Huc Erphurdensi fuit inde uocante Senatus
Missus, ut Aonium pasceret arte gregem.
Esset ubi ante duos uiginti primitus annos
Ex Augustini Cœnobio orta schola.
Huius erat Rector, doctrinæ Academia fructu
Per Sophiæ Proceres eius & usa fuit.
Namq; Mathematices, Græcæ Linguaq; Professor
Publicus haud spretæ dexteritatis erat.
At senio fractus longoq; labore, ferendo
Sensit non oneri se amplius esse parens.
Ergo receptorum prudens à parte laborum
Ut releuaretur, spontè recessit onus.
Viribus integris se, quanquam optasset, ut ante,
Palladis ulterius pascere posse greges.
Ex hac Christus eum tandem statione uocauit
Ad paradisiacæ regna beata scholæ.
Cum duodena ferè uiuendo lustra perægit
Cœlebs, & merito dignus honore senex.
Nominis æterni famam post fata reliquit,
Corpore non potuit quæ moriente mori.
Spiritus ipsius cœlestis gaudia uitæ
Percipit, hinc eius molliter ossa cubent.
Ultimi obsequiū & amicitia
ergo, scribebat M. A. M.

1583.
22
61.

RATIO RECTE

VIVENDI, AB IN-
EVNTE ÆTATE.

ITEM

ELEGIA GER.

MANICOLATINA

de sanctis Angelis.

AVTORE

Antonio Mokero.



ANNO

M. D. LXXXIII.

RECHENBUCH

ALBERTUS GERHARDUS
MATHICOLA

1671

ALBERTUS GERHARDUS



NOBILITATE
GENERIS, OPTIMÆ
INDOLIS, ET MAXIMÆ
spei pueris, agnatis, GEORGIO
MILVVITZ, & GVILIELMO HEN-
RICO CRANICHFELDT, Erphor-
dianis, &c. discipulis suis
dilectis,



Ecce uiuendi breuiter præcepta docemus,
In metricos uatum more coacta pedes.
Scire statim pueros quæ prodest atq; ne-
cesse est,
Cum flecti sicut paruula plâta queunt.

Hi uerò rectè dicuntur uiuere, uerum
Non fallace Deum qui pietate colunt.
Ac odio scelerum pulcris uirtutibus artes
Exornare bonas, quas didicere, student.
Quiq; suam cultis uitam benè moribus ornant,
Qui nihil in sese rusticitatis habent.
His sine qui uiuunt, malè uiuunt, atq; uidentur
Non hominis, uerum uiuere more fera.
Hic liber ergo docet uiuentes uiuere rectè,
Discendi studio, more decente, pie.
Hunc meritò pueris agnatis dedico uobis,
Discipulus uestrum cum sit uterq; meus.
Atq; domi tenear uestrum benè pascere corpus,
Corq; timore Dei, moribus, arte, cibo.

D a Corpora

Corpora sustentant potusq; cibusq; caduca,
Ac ea, si modicè suscipiantur, alunt.
Sunt pietas, uirtus, doctrinaq; pabula mentis,
Quæ cum nutrita mente manente manent.
Cum dem, quæ uestrum benè pascant fercula corpus,
Hæc animis etiam fercula danda puto.
Quæ pueris alijs communia nomine uestro,
Vobiscum quod habent, ut moneantur, erunt.
Accipite hoc igitur munus preciosius auro,
Nec maius pueris credite posse dari.
Nam quid opes profunt, sine cognitione bonorum,
Moribus absq; bonis, absq; timore Dei.
Quæ bona sunt animi non interitura, caducæ
Fortunæ cunctis anteferenda bonis.
Thesauros tales liber hic complectitur in se,
Pectora uestra quibus uos decorare decet.

M. Antonius Mokerus.

RATIO

RATIO RECTE

VIVENDI, A B

ineunte etate.

IMPRIMITVR *cære molli cœlestis imago*
Numinis, effigies Tartareiq; ducis.
Olla diu primi succi noua seruat odorem,
Pura bonos recipit charta malosq; typos.
Candida tincturæ bibit omnes lana colores,
Flectitur ad ductum paruula planta manus.
Non secus à teneris puer est tractabilis annis,
Tàm mala mens eius, quàm bona dicta capit.
Purus adhuc scelerum puer est fraudisq; nocentis,
Cor simplex eius calliditate caret.
Est docilis mentis, facile arripit omnia dicta
Factaq; quæ cernit uel bibit aure sua.
Quæq; suis didicit semel in puerilibus annis,
Seruat, donec eum curua senecta premat.
Est igitur primis puer informandus ab annis,
Ad castos mores & pietatis opus.
Namq; per etatem sese nequit ipse docere,
Sed senis auxilio præcipientis eget.
Cum nondum senuit, sed adhuc crescentibus annis
Ipsius est etas mollis & apta regi.
Hunc differre diu res est damnosa laborem,
Vtilis est longa suscipere absq; mora.
Priuatim prodest, & commoda publica confert,
In uarios uite semper itura status.

D 3

Nam

RATIO RECTE

Nam puer imbutus uera pietate, bonisq;
Moribus, id quod agit conuenienter agit.
Estq; Deo charus simul & mortalibus aegris,
Ac inter cunctos est potiore loco.
Non latet obscurus, fastigia scandit honoris,
Officio rectè fungitur hoc, quod habet.
Moribusq; idq; suis pulchrè ciuilibus ornat,
Qui nihil incultæ rusticitatis habent.
Exemplis alios monet ad uirtutis amorem,
Corporis est forma menteq; uerus homo.
Qualibet humani siquidem sub imagine uultus
Moribus absq; bonis mens pecuina latet.
Qui caret hisce sedens in scanni stipite stipes
Ut crassus sedet, & nil rationis habet.
Ne tales fiant præcepta salubria uitæ,
Proponam pueris digna subinde legi.
Utq; magis moueant animos, dulcedine metri
Imparis, in numeros illa ligabo pedum.
Attendant pueri, quibus hæc puerilia tracto,
Iam senibus factis, quod sibi profit habent.
In teneræ ætatis fuerint nisi cognita flore,
Postea nulla senes cura docebit eos.
Non oneraturus pueros ambagibus utar,
Summa mei debet carminis esse breuis.
Christe iuuentutis defensor & optime fautor,
Ut faueas captis, te precor, hisce meis.
Flecte tuo sancto puerorum flamme mentes,
Hæc ut percipiant, atq; decenter agant.

VIVENDA.

Sit pietatis amans teneris puer omnis ab annis,
Corde Deum timeat, diligat atq; colat.
Nam uenit ex Domini sapientia uera timore,
Omnis & est pietas fons & origo boni.
Imbibat articulos fidei, documenta salutis
Quæq; Catechismus non percuntis habet.
Audiat in templis mysteria sancta doceri,
In quibus est ueri mens patefacta Dei.
Non legat in sacra scriptores æde prophanos,
Namq; loco in sacro nil nisi sacra decent.
Cum canitur sanctum nomen reuerenter Iesus,
Denudet caput & flectat utrumq; genu.
Ac Euangelium quando recitatur, id aure
Attenta surgens audiat atq; notet.
Discat peccatum quid sit, quæ causa sit eius,
Illud & aduersus flagret ut ira Dei.
Quodq; creatura hanc placare nequiuert iram,
Vlla uel in terris his, uel in arce poli,
Factus homo solus quod Iesus quiuerit illam
Morte Dei gnatus conciliare sua.
Unica peccatum quod sit quoq; causa malorum,
Et mortis, tam quæ corpora falce metit.
Quam quæ perpetuis animam corpusq; flagellis
Tartareis cedit, torquet & igne coquit.
Sed cor mole sua sit ut opponenda grauari
Peccato, Christi gratia magna notet.
Cogitet humanum genus ut complexus amore
Sit Deus, ut gnatum miserit ipse suum.

D +

Qui

RATIO RECTE

Qui pro peccato moriens sit uictima factus,
Ut credens uiuat, nec moriatur homo.
Contra terrores mortis se muniat, hac re,
Quod post hanc uitam uita perennis erit.
Quodq; pij mors sit somnus placidissimus omnis,
Et dulcis recreans omnia membra quies.
Quod pia mors, non mors sit, sed quasi ianua uitæ,
Per quam cœlorum regna beata patent.
Quod defunctorum prodibunt cuncta sepulchris,
Corpora postremo clarificata die.
Conspectuq; Dei miranda luce fruuntur
Angelicis omni tempore iuncta choris.
Sint ubi perpetuò tam gaudia magna futura,
Ut satis effari nullius ora queant.
Qualia non hominis cor gaudia senserit unquam,
Nec sint uisa oculis, hausta nec aure caua.
Multoties etiam uoluat sensuq; reuoluat,
Præmia sint uitæ quanta statuta pie.
Utilis existat pietas quod ad omnia, uitæ
Huius suscipiens alteriusq; bona.
Corde Deum dentur quod cuncta timentibus, ut sunt
Victus, amictus eget uel bona, uita quibus.
Cogitet hoc etiam, quod quamuis uita piorum
Sit subiecta cruci, quotquot hic orbis habet.
Sit tamen his præstò Deus & solatia præstet,
Hos iuuet, ex omni liberet atq; malo.
In Dominum Christum speret, confidat eiq;
Aduersus quem non uis uiolenta ualet.

Huic

VIVENDI.

Huic soli præstat toto confidere corde,
Quàm se principibus credere mille uiris.
Obseruet causas crucis huius, nempe probetur
Cordis ut hac, aurum sicut in igne, fides.
Languida reddatur ne uel secura, uocetur
Crebrius utq; potens in pia uota Deus.
Utq; Dei multò reddatur gloria maior,
Eripit ærumnis quando potente manu.
Atq; supra captum rationis liberat illos,
Humana quando destituuntur ope.
Et quia Tartareus lupus odit corda piorum,
Et struit insidias ac mala mille modis.
Se fidei scuto, uerbi pius armet & ense,
Ac imploret opem corde gemente Dei.
Hac impetrata, feliciter omnia cedent,
Conatus sine ea semper inanis erit.
Sancta pij penetrat nubes oratio cordis,
Atq; Dei sanctum sistitur ante thronum.
Hac in diuina non Musica suauior aure
Est, exauditur, quod petit illud, habet.
Sed solet ad ueram Deus exaudire salutem,
Ergò negat crebrò, quod caro cœca petit.
Aduersus cunctos hostes oratio sancta,
Et contra quamuis est medicina crucem.
Tentantem Satanam fugat, eius & ignea tela
Frangit, & iratum non sinit esse Deum.
Ira precum lachrymis extinguitur, ignis ut undis,
Non holocausta placent, sed pia uota Deo.

D S

Hoc

RATIO RECTE

Hoc ita quotidie legat & meditetur, idemq;
Audiat in templis, audiat inq; scholis.
Ut mandata Dei seruet reuerenter, eidem
Cura sit ante oculos quotidiana suos.
Si tamen est lapsus (sicut caro sæpius errat)
Post melius uitam mox resipiscat agens.
Confugiat Christi sacram reuerenter ad aram,
Ut culpæ ueniam possit habere suæ.
Non operum propria fidat probitate bonorum,
In Christi meritum spemq; fidemq; locet.
A lue peccati mundamur sanguine Christi,
Inde salus nobis non aliunde uenit.
Harum notitiam rerum sciat esse petendam
Inprimis, monstrat namq; salutis iter.
Sit licet excellens sapientia cætera mundi,
Est tamen absq; Dei cognitione nihil.
Hæc sit cunctorum studiorum regula sola,
Humana quæ sunt in ratione sita.
Et sub se linguas quæ complectuntur & artes,
Non quibus hæc hominum uita carere potest.
Has puer adiungat studio pietatis, easq;
Addiscat quanta sedulitate potest.
Ac ut proficiat multò felicius, oret,
Ut Deus ingenij det sibi dona boni.
Nam sine naturæ bonitate scientia quæuis
Tardius arripitur, fit grauiorq; labor.
Estq; minus felix, hebetudo quando repugnat,
Felix est quem uis ingeniosa iuuat.

Hanc

VIVENDI.

Hanc indefessus labor assiduusq; studendi,
Exacuit, medio quo sine lesa perit.
Sic quia naturæ bonitas est sæpè petenda,
Utatur medijs ut simul hisce puer.
Quæ sunt: quotidie sese scribendo, loquendo
Exercere, animo condere multa suo.
Ordine præclaras artes & discere linguas,
Complecti sensu uerbaq; resq; suo.
Intellecta prius præcepta reponere mente,
Quæ sunt exemplis reddita clara bonis.
Sæpè recordari repetendo tradita menti,
Firmius ut sedeant, & minus inde fluant.
Multa notare manu uel scribere digna notatu,
Scripta manent, non sic auribus hausta manent.
Doctorum uoces imitari & scripta uirorum,
Vsum præcepti discere quem quod habet.
Cumq; alijs placide studio conferre sciendi,
Non soli tumida fidere mente sibi.
Non præceptorum uiuas contemnere uoces,
In latebris ipsum seq; docere suis.
Plus docet ac penetrat mentem uox uiua docentis,
Quàm muti libri lectio crebra domi.
Hec puer obseruet, quæ diximus hæctenus, omnes
A uotis operas incipiatq; suas.
Inq; uirum studeat feruens euadere doctum,
Qui uincat multos cognitione uiros.
Manè suum liquidis cum Sol caput extulit undis,
Et rota Luciferi prouocat orta diem.

Sunt

RATIO RECTE

Sunt exercendo postquam renouata labori,
Omnia discusso membra sopore pigro.
An-te sui studij quam pergat texere telam,
Inuocet eternum supplice uoce Deum.
Fortunamq; suo petat aspirare labori,
Sanctificante roget flamine seq; regi,
Insidiatoris sibi contra mille pericla,
Agminis excubias angeliciq; dari.
Dicat item grates, quod custoditus ab illo
Præterita fuerit nocte, potente manu.
Oret idem quando suadet nox humida somnos,
Atq; micant pulso sydera clara die.
An-te det ignauo quam lumina languida somno,
Incipiatq; suo membra leuare thoro.
Sic puer incipiat prece præcedente labores,
Et sit uirtutis non morientis amans.
Herculis exemplo trucis illam præferat alta
Mente uoluptati (dat quia damna) male.
Mandatis parens diuinis, crimina uitet,
Horrendè punit quæ grauis ira Dei.
Non iuret temerè, periuria uitet, abuti
Diuino caueat nomine, more leui.
Verbi diuini mysteria sancta docentes
Diligat, ac merito semper honore colat:
Pascentes animas gregis hi quia rore salutis,
Ad celsi ducunt regna beata poli.
Luce sacra cessans opera requiescat ab omni,
Et tractet solum religionis opus.

A quia

VIVENDI.

A quibus est genitus, colat afficiatq; parentes
Semper honore, loco quosq; parentis habet.
Non errata senum ferat ægra mente parentum,
Sanguine coniunctos officiosus amet.
Sit præceptorum, quibus est commissus, amator,
Doctrina mentes nam sapienter alunt.
Viuendi rectè tradunt præcepta, parentes
Sunt animi, tenero corpore maior hic est.
Vitales auras homini dat uterq; parentum,
Præceptor, quæ sit uita beata, docet.
Pareat, atq; regi sese patiatur ab illo,
Frena nec indomiti more recuset equi.
Assurgat coram senio & gravitate uerendis,
Hos quasi communes æstimet esse patres.
Iussa Magistratus non negligat ulla rebellis,
Non sunt aduersus quatenus illa Deum.
Membra suo capiti propria cum clade resistunt,
Nil uenit ex misera seditione boni.
Se non opponat stulto maioribus ausu,
Ridetur uictus, damna rubore facit.
In res alterius se non immisceat omnes,
Nomen, qui facit hoc, ardelionis habet.
Stercore foedantur foetentis sæpè cloacæ,
Omnia contrectant qui petulante manu.
Non perdat tempus, uolat irreuocabile, uenti
Instar id & rapidè more fluentis aquæ.
Ocia ceu pestem studiorum turpia uitet,
Ingenij reddunt acris acumen hebes.

Mordetur

RATIO RECTE

Mordetur solidum picea rubigine ferrum;
Splendorisq; nihil, ni moueatur, habet.
In uestimentis tinea nascuntur edaces,
Cum sine sunt usu semper operta situ:
Segnia sic hominis corrumpunt ocia mentem,
Et turpis pariunt criminis omne genus.
Non minus immodicum puer omni tempore somnum
Oderit, is simili nam ratione nocet.
Non piger aut nimio somno quis deditus unquam
Ad decus euectus, functus honore fuit.
Sedulitas uerò fructus foecunda laboris,
Doctrinam, laudes, diuitiasq; parit.
Ad summum septem dare somno sufficit horas;
Ultra si somnus continuatur, obest.
Non alias hodie peragenda trahantur in horas,
Nam mora multoties paruula rebus obest.
Non tangat pueri quoq; uana superbia mentem,
Hanc Deus omnipotens odit & odit homo.
Namq; Thrasone nihil, qui sesquipedalia uerba
Ampullasq; iacit, uanius esse potest.
Doctrinae nec eum persuasio fallat inanis,
Quae ualdè studijs est inimica bonis.
Musarum multi potuissent scandere montes,
Se nisi sensissent iam superasse iuga.
Non quoq; sit caeptis temerè leuioribus audax,
Præ se contemnat non sociosq; suos.
Quod scit, habetue boni, non hoc ostendet ineptè
Est sese iactans inuidiosus homo.

Nois

VIVENDI.

Non premat afflictum, non insultetue iacenti,
Qui benè stat, uideat ne titubando cadat.
Presenti sorti tutò non fiditur unquam,
Prosperitas queso quæ diuturna fuit?
Vitrea fortuna est, cum splendet, frangitur, æstu
Mox ardens tonitrus sol uehemente mouet.
Cum tonat inconstans uultu fortuna minaci,
Ac crucis imponit, quod patiat, onus.
Non animo fractus succumbat, acerba ferendo
Vincat, & erectus spe sua damna leuet.
Post nubes pulsas sol clarus ab æthere splendet,
Post duram ueniunt prosperiora crucem.
Aspera tempestas toto non horret in anno,
Post hyemis tempus tempora ueris erunt.
Pectoris ingrati caueat ne labe notetur,
Quodlibet hæc uitium fertur habere nocens.
Officit ingratus non rarò pluribus unus,
Qui ualdè meritis auxiliantis eget.
Qui uerò grates benefacti nomine dicit,
Ut sibi donentur munera plura, facit.
Et quia discentes multum tolerare necesse est,
Quotidiè discat multa ferenda pati.
Discendi præstet patienti mente labores,
Sit post quos olim grata futura quies.
Absit ab inuidia, sed sit tamen æmulus, ullis
A socijs se nec uincier arte sinat.
Sit concors, lites & amaræ prælia linguæ
Non moueat, turbas irrequietus amans.

Non

RATIO RECTE

Non eat in litem studio certaminis, omnis
Est odiosus homo litigiosus homo.
Rideat alterius nec ob infortunia letus,
Quod fit ei, fieri sæpè cuiq; potest.
Non inimicitias cum quoquam mentis honestæ
Suscipiat, quædam dissimulare sciat.
Qui capit in partem meliorem pleraq; dicta
Factaq; plus alijs pluribus ille sapit.
Nil ut amicitia melius: sic peius acerbo
Nil odio, hoc turbat cuncta, sed illa struit.
Est bona cunctorum statuum concordia neruus,
Omnia qua firma firma manente manent.
In causa caueat puer ergo quilibet esse,
Vis quod amicitia languida facta cadat.
Non leuis errati causa exardescat in iram,
Se citò placari, cum furit ira, sinat.
Ira parens odij grauis est diuturna, quod amplas
Hostilis messes improbitatis habet.
Assuescat socijs interdum cedere posse,
In quauis primum re nec habere locum.
Hoc hominum poterit sibi conciliare fauorem,
Qui confert uarijs emolumenta modis.
Turpe sodalitiū fugiat cane peius & angue,
Moribus & famæ, diuitijsq; nocet.
Carnifici iugulum multi præbere coacti
Sunt, qui se socijs implicuere malis.
Sandapila uili rarò portantur humandi,
Sed dantur coruis præda uoranda nigris.

Se

V I V E N D I.

Se socijs iungat, quorum probitasq; fidesq;
Indicijs multis sæpè probata fuit.
Non credat fronti speciem probitatis habenti,
Lucet in angelico sæpè colore Satan.
Non faciat multis incautius ergo sodalem
Se nimum, damno res ea sæpè fuit.
Non omni credat confestim blanda loquenti,
Credulitas multis perniciofa fuit.
Sit tamen humanus, facilem se præbeat erga
Omnes, hac hominum quæritur arte fauor.
Arida cum feruent Nemeæi signa Leonis,
Et micat Icarij feruida stella canis,
Cumq; fitit tellus & torridus æstuat aër,
Mox detondendas & dat arista comas,
Non fit ei gelidas undas intrare cupido,
Submersus perijt sæpè natare uolens.
In glaciem uerso neq; se currendo det amni,
Ne frangat costam, brachia, crusue suum.
Cum sunt immitis gelidissima frigora brumæ,
Marmoreo tellus est & operta gelu.
Cum Chironis adit senis arma parata biformis
Phœbus, & æquorei cornua sæua capri.
Atq; frequens Boreas iactatis insonat alis,
Concretasq; nequit findere remus aquas.
Præbeat obscœnis nunquam sermonibus aures,
Si quos audiuit, non imitetur eos.
Casta uerecundi non laxet frena pudoris,
His semel excussis, ora pudore carent.

E

Hoc

Se

RATIO RECTE

Hoc nihil est homini reliquum pereunte bonorum,
 Sed cunctis vitijs magna fenestra patet.
 Non operam turpi det amor, factus adultus,
 Virginitas Musis est inimica Venus.
 Non sinat ipse suos oculos hinc inde uagari,
 Ne sint fallaces ad mala facta duces.
 Nocturne uagabundus nunquam per strata uiarum
 Discurrat, multum nascitur inde mali.
 Non sit luxuria, non ebrietatis ineptæ,
 Sed mentis freni sobrietatis amans.
 Ebrietas demens animis, animabus, honori,
 Fortunæq; bonis, corporibusq; nocet.
 At bona sobrietas animas, animosq; laborem,
 Famam, nomen, opes, corpora, uota iuuat.
 Est sapientis enim prudens nutricula mentis,
 Ut sint ardentis, exacuitq; preces.
 Sufficiens agit quod agit, differtq; senectam,
 Nec celebri merita laudis honore caret.
 Seruat et auget opes, scit eis frugaliter uti,
 Utq; ualetudo sit bene sana, facit.
 Omne uoluptatis genus excretur iniquæ,
 Musas delicias et sinat esse suas.
 Tessera non ipsum teneat, non alea fallax,
 Clam per quæ tacitum tempus abire solet.
 Non quid surripiat furtim, sit ubiq; fidelis,
 Non noceat fallax ore manuue sua.
 Quantumuis speret sua non manifesta futura
 Crimina, tecta diu non tamen esse queunt.

Condita

VIVENDI.

Condita quæ latitant, ueniunt aliquando sub auras,
Clam nihil est adeò, quin patefiat idem.
Sit frugalis, emat non quæ nisi sola necesse
Est coëmi, seruet, si, quod abundet, habet.
Perdat inutiliter sua non patrimonia luxu,
Non semel absumptæ mox reparantur opes.
Decoctor parcè qui non bona parta tuctur,
Pauperie, quid opis, quando laborat, habet?
Noscitur usus opum tum demum, cuncta fuerunt
Quæ prius in nostra, cum periere, manu.
Nec tamen esse tenax adeò puer æris amansq;
Assuescat, ne, quod uita requirit, emat.
Aut si nummatus sit, opem ne præstet egenis,
Mendicis donet, pauperibusue stipem.
Tutus eat medio, faciat non plusue minusue,
Est uirtus in re quaq; tenere modum.
Sit uerax, fucum mendacia uanaq; uitet,
Nugarum Satanas est sator atq; pater.
Assuescens nugis furandi discit & artem,
Furacis mendax lingua manus comes est.
Nec mendax aliud lucratur, quam quod habetur,
Non ipsi dicat si quoq; uera fides.
Et quia futilitas multorum causa malorum
Est, discat lingue ponere frena suæ.
Futilitas lingue Pelopis dedit improba gnato,
In media gelidi quod sitit amnis aqua.
Sunt homini geminæ factæ diuinitus aures,
Est illi tantum lingua sed una data.

E 2

Atq;

RATIO RECTE

Atq; patent aures, uallantur dentibus ora,
 Illaq; concludi per labra bina queunt.
Hac ipsa monitus fabrica puer oris & auris,
 Audire addiscat plura, minusq; loqui.
Non obtrectator sit, mordens omnia dicta,
 Vt Sycophantarum noxia lingua facit.
Dente Theonino non omnia factaq; carpat,
 Fecisse ut Momum fabula prisca docet.
Non reprehensorum mores imitetur, eorum
 Inuida uerecundo pectora felle madent.
Obtrectatoris plus quam paliurus acutis
 Os pungit spinis, acrius angue ferit.
Toxica non adeo ledunt, aconitaq; succis
 Lurida Gorgoneis, ut mala lingua nocet.
Sit non in uitijs alienis Lynceus, & non
 In uitijs cæcus, sit quasi talpa suis.
Carperè festucam qui uult in lumine fratris,
 Ipse suis oculis eximat ante trabem.
Qui dicit quæ uult, audit plerunq; uicissim
 Quæ non uult, lingue temperet ergo puer.
Nec temerè quenquam reprehendat, nemo uicissim
 Sic reprehendentem qui reprehendat, erit.
Facta bonis faciunt conuicia uulnera crebro,
 Quæ uix sanari conciliata queunt.
Si fuit à quoquam falso delatus & insons,
 Sit uindex licito legitimoq; modo.
Si diffametur, culpa careatq; nec autor
 Constet, uel maior se quoq; ui sit opum.

Committit

VIVENDI.

Committat Domino uindictam, mente quiescat,
Est sibi quæ rectè conscia, uimq; ferat.
Tempus & expectet mendacia friuola prodens,
Omnibus insontem seq; fuisse probans,
Sed caueat, meritò ne diffametur, honestè
Viuat, uim nullis inferat ore, manu,
Sic ridere malæ poterit mendacia famæ,
Insons atq; reus si peragatur, erit.
Sic insonte suum uita seruabit honestum
Nomen, quod uincit fulua metalla Tagi.
Non minus ipsa salus quam propria, totaq; uita,
Fama sit assidue chara cuiq; sua.
Hanc semel amittens, ciuili morte peremptus
Est, & honoris ei ianua nulla patet.
Ne cadat in turbas & magna pericula uitæ,
Prudenter caueat uerba tacenda loqui.
Arcanis discat præstare silentia rebus,
Nec cunctis credat pectore clausa suo.
Garrula lingua parit turbas, conuicia, lites,
Probra, simultates, uerbera, bella, minas.
Illi committat cordis secreta, probauit
Cuius in aduersis casibus ante fidem.
Tutior hæc fidei, sed ut esse probatio possit,
Hæc uti licita calliditate potest.
Committat primum res fictas, hisce retentis
Credere quæ non sint ficta deinde potest.
Non secus ac uinum prius acceptura probantur
Concaua commissis dolia fontis aquis.

RATIO RECTE

Sit non effrenis linguæ, sed pauca loquatur,
Non res arcanas garrula lingua tenet.
Multaq; mentitur, qui crebro plurima garrit,
Et minus integræ cognitionis habet.
Nec signo mentis uecordia proditur ullo
Promptius, ac linguæ garrulitate leui.
Esse solet maior tinnitus uasis inanis,
Quam multis pleni mercibus atq; bonis.
Noscentur cantu uolucres, tinnitibus æra,
Ex sermone suo noscitur omnis homo.
Pauca loqui sapiens solet & bona, plurima stultus,
Sed quæ plus uocis quam rationis habent.
Non percontator quoq; sit, secreta loquentum
Captet in insidijs uerba nec aure sua.
Dum latitans, animamq; tenens, uestigia furtim
Suspensio digitis fert taciturna gradu.
Est quæ facturus non omnibus omnia dicat,
Ne deludatur, si malè cedat opus.
Nec sine consilio quid præceptis tentet, agatur,
Fortunæ cedunt non benè cepta fide.
Re benè perpensa sapiens agit id, quod agendum est,
At fatuus quod agit, præcipitanter agit.
Quæ rem circumstant cunctatio singula uoluens,
Consilio auertit plurima damna suo.
Nam cuncta inspectè semper, quid postulet ipsa
Res persona, locus, tempus & hora, uidet.
At in re finem prudenter respicit omni,
Ne pudeat cepti poeniteatq; sui.

Alterius

VIVENDI.

Alterius damno sapiat, prudentius ignem
Ille cauet, laesus qui semel igne fuit.
Utatur salibus ludisq; urbanus honestis,
Scurriles fugiat non sine felle iocos.
Non omnis patiens est risus, atq; cachinni
Mente ferunt pauci cum patiente iocos.
Si ridens alios ludit, non ipse vicissim
Aegra deludi se quoq; mente ferat.
Sunt ad ridendos alios pleriq; parati,
Commoti ui, par si referatur, agunt.
Non res alterius sortemue affectet habere,
Contentus uiuat conditione sua.
Quae fieri nequeunt impetrariue petendo,
Cor frustra non haec excruciare sinat.
Vnius esse licet sortis non omnibus, ille
Seruus, hic est Dominus, prosper hic, ille miser.
Distribuit uarie Deus optimus omnia dona,
Munus & hic habet hoc, ille sed illud habet.
Non causa doni quod habet, caput efferat alte,
Munere namq; Dei quod sumus omne sumus.
Utatur recte donis, & sorte quiescat,
Ac Spartam nactus quam fuit, ornet eam.
Sit foris atq; domi studiosus amator honesti,
Ad uitium nec eum prona cupido trahat.
Seruato medio non extra septa uagetur,
Namq; quod est medium dicitur esse bonum.
Sic agat & uiuat, mens ut sit conscia recti,
Ne quid eam tanquam carnificina premat.

RATIO RECTE

Mens folij nimio strepitu terretur, atrocis
Est facti sceleris conscia quando sibi.
Nominis ardor ei sit honesti, laudis amore
Tangatur, uirtus hanc operosa parit.
Totus ei dedat sese, faciatq; probatos
Totius uitae facta probare uiros.
Iudicium nunquam curet, sit quale malorum,
His quicunq; placet, displicet ille bonis.
In summa uitet uitium, Deus omnia cernit,
Ac habet ultrices ipsius ira manus.
Interdum quanquam differtur poena, seuerè
Attamen hanc pensat cum grauitate moram.
Si resipiscendi spatio quis abutitur isto,
Longanimis magna quod bonitate dedit.
Ex alio poenas propter peccata luente
Exemplum petat, hoc cautior esse potest.
Haecenus est monitum uirtutibus, arte, Deiq;
Ut pueri sit mens erudienda metu.
Addendum nunc est, ornent qui corpora mores,
Gratia non tenuis mentibus unde uenit.
Est quamuis animus uirtute politus & arte,
Est tamen ingratus moribus absq; bonis.
Conciliatur amor suauis dulcedine morum,
Qui multum facilis commoditatis habent.
Ut puer ergo suam commendet rectius artem,
Virtutemq; notet quae documenta damus.
Ac iuxta haec totum sese componere discat,
Consultum uitae si cupit esse suae.

EX

VIVENDI.

Ex uultu lucet morum laudanda uenustas,
 Totius ex habitu corporis atq; bono.
Ergo sit in uultu decor, ac in corpore gestus,
 Ac habitus, qui nil rusticitatis habet.
Ore uerecundus, dicto factoque modestus
 Sit, morum placeat commoditate graui.
Non oculi torui, diducti siue stupentes
 Non acres nimium sint, nimiumue uagi.
Non conuiuentes, non limi, nonue loquaces,
 Sint recti, placidis compositisque genis.
Non figantur humi, nisi res oblata, pudoris
 Ad terram causa flectere cogat eos.
Cumq; decens facilem commendet gratia uultum,
 Nunquam sit facies Stoica, torua, ferox.
Absq; supercilio tristi exporrecta sit, index
 Est animi siquidem, uel quasi sermo tacens.
Suspicione caret non criminis ille, frequenter
 Demisso uultu qui sedet atq; tacet.
Non igitur sedeat torua uel fronte minaci,
 Non trahat in rugas, ut facit hircus, eam.
Qui tacet atq; sedet transuersa tuentibus hircus,
 Inuidet, aut odij signa tacentis habet.
Stillet ab immundis non mucor naribus, ora
 Ne foedet, strophij excipiendus erit,
Vel naso digitis emuncto phlegma duobus
 Exceptum in solidam proijciatur humum.
Ac pede ne moueat fastidia foeda, teratur,
 Nec conspurcetur candida uestis eo.

E S

Non

Ex

RATIO RECTE

Non puer emittat ronchos è naribus, edat
Nec sonitus, quales follibus aura facit.
Non crisset nasum, faciunt hoc sannio, scurra,
Alco, palpator, morio, lurco, nepos.
Auertat faciem, cum sternutatio cogit,
Ore sonos edens, concutiensq; caput.
Quos sternutantes audiuerit ipse salutet,
Ac grates, alius quando salutatur, agat.
Non reprimat sonitum, quem fert natura, nec illum
Intendat studio, non repetatq; uolens.
Vrget ubi tussis, caueat quoq; uertere frontem:
Ad faciem alterius rusticitate suam.
Is ne cogatur flatu haurire Tracheæ,
Quos ædit, strophio contegat ora suo.
Id quoq; quod monui, faciat quando oscitat, atq;
Si decrit strophium, contegat ora manu.
Non inflet buccas, nimium non comprimatur ora,
Nec sparsis labris illa patere sinat,
Vt fluat in mentum, sputum uel fæda saliuæ,
Nausea spectanti mox grauis unde uenit.
Non tingat uultus fallaci tempora fæco,
Sed pudor ingenuus tingat utraq; genas.
Abstineat nimio risu, largoq; cachinno,
Alia non quatiat, sed mediocre sonet.
Cum ridet, non os ambas deducat ad aures,
Denudet totum dentibus idue suis.
Is canis irati mos est morsumq; mimantis,
Est index hominis risus inertis iners.

Mane

VIVENDI.

Manè lauet dentes, ne sint fuligine flauī,
Eluat os, linguam, labraq; fontis aqua,
Ne foetens nares offēdat anhelitus oris,
Atq; manus, gratis nam datur unda, lauet.
Diffusi caueat ne sint sine lege capilli,
Pectat dentato pectine saepe caput.
Multa sit impexo ne pluma immixta capillo.
Sit coma consueto forpice tonsa modo.
Aequo stent humeri libramine, rectaq; ceruix
Sit, frontis sulcet ruga nec ulla cutem.
In sinibusq; cauis oculorum sordida gutta
Nulla sit, illuies nec sit in aure caua.
Sint nitidae palmae, careant & sordibus unguēs,
Morio nec manuum nec sit inepta pedum.
Terga supina trahant ne gibbos, sessio recta
Sit, puer & quae sunt membra tegenda tegat.
Sic studuit moriens Priameia uirgo, decenter
Corporis ut tegeret membra pudenda cadens.
Ne nudaretur moriens Lucretia casu,
Respexit, talis cura cadentis erat.
Sicut id in libro Fastrorum Naso secundo,
Exemplum dignum laude poeta canit.
Incessus pueri sit sedatusq; decensq;
Non nimium tardus, non nimiumq; celer.
Non sua ceu toruus disponat brachia miles,
Aut non post tergum complicet illa suum.
Et quia uestitus cuiusq; est pectoris index,
Utatur semper ueste decente puer.

Calceus,

RATIO RECTE

Calceus, indusium, caligæ, togæ, pilea, thorax,
Facta nouis non sint insolitisq; modis.
Est argumentum stulti ratione carentis,
Vestitus nouitas prodigiosa leuis.
Non sint dissectæ caligæ, non follis & instar
Aut ueli laxæ, quod cita nauis habet.
Non constant panno quoq; uersicolore capaces,
Nec tumeant manicæ, sit toga longa satis.
Non adeoq; breuis, ne partes condere possit
Corporis occultas, uix tegat utq; nates.
Setosa excutiant floccos muscaria ueste
Pulueræ, purget spongia calceolos.
Oblitus immundo non stercore calceus esto,
Non uagus in laxa pes quoq; pelle natet.
Vestitus fugiat morem formamq; cauendam,
Sitq; uenustatis, quæ satis ornat, amans.
Extremam tunicæ partem non iactet in altum
Ingrediens humerum, quod uagus erro facit.
Ante nihil comedat, quàm sit pia uota precatus,
Grates semper, ubi pabula sumsit, agat.
Compositis autem manibus deuotus & oret,
Labrorum murmur sint nec inane preces.
Post ut & ante cibum palmas argentibus undis
Abluat, illotis non manibus quid edat.
Ad mensam discat precibus manibusq; plicatis,
Non secus ac aram uadere, non ut haram.
Debeat ast qualis recitari forma precandi,
Sacra Catechismi nos documenta monent.

Est

VIVENDI.

Est ubi propositis epulis accumbere iussus,
Non sedeat primo precipuoq; loco.
Ne quisquam ueniat, si multò dignior, inde
Post sedeat cedens inferiore loco.
Est quam sortitus sedem tranquillus in illa
Consideat, pede sit nec petulante proca.
Non sit uicinis ulla ratione molestus,
In mensa quod agit conuenienter agat.
Ridiculos gestus fugiat, turpesq; cachinnos,
Si non hinc socijs uult odio esse suis.
Moribus utatur ciuilibus inter edendum,
Non moueat stolidè crura manusq; suas.
Non quadram fodiat, non ludat & orbe rotundo,
Ambabus manibus gesticulando rotans.
Non mensa cubito nitatur utroq; uel uno,
Sint supra mensam more decente manus.
Cultello sumat sal, non digitosq; salino
Indat, non unguis segmina tollat edens.
Non fodiat nares digito, non purget & aures,
Non dentes albos pollicis ungue fricet.
Non scabat aut scalpat caput, & decorticet ullos
Non panes, nec eos perforet atq; cauet.
Frustula proscindat sibi sufficientia panis,
Non rellinquatur particulata Ceres.
Inserat in patinæ non primus fercula dextram,
Postremo capiat proxima frusta loco.
Non manus in patina circumuolet atq; moretur,
Non digitis, cultro carnea frusta petat.

Non

RATIO RECTE

Non magnos bolos morsu deglutiat uno,
Bucca uelut follis flatilis unde tumet.
Non lambat digitos madida pinguedine tinctos,
Non illa uestes commaculetue suas.
An*te* iacent alium disci quæ frustula lauta,
Non rapiat, uersa non patinaue uoret.
Non sonitum comedens labiorum motibus edat,
Iste lutosorum mos solet esse suam.
Prærosos bolos patinae neq; reddat eosdem,
Non repetat, posuit quæ semel ossa manu.
Illa nec arrodatur, neq; faucibus eximat orbi,
Imponens mansos dentibus ante cibos.
Non afflet calidam pul^{te}m, uel turpiter offam,
Non fluat exundans eius ab ore liquor.
Cultello patinae non subruat omnia frusta,
Nec uertat quærens quæ meliora putet.
Inq; suum grandes epulas non congreget orbem,
Porrectosq; cibos non sibi quosq; uoret.
Particulam scindat, patina partemq; reponat,
Tradenti grates frusta decenter agat.
Diffecet in partes, quæ sunt comedenda minutim,
Panemq; mox iuncto sufficienter edat.
Abstineat murie salis atq; friabilis usu
Immodico, scabiem plura cietq; mala.
Reliquias ossis spinaeq; reponat in orbem,
Ossa nec ex mensa iactet edenda cani.
Non semel ambesam uicino porrigat escam,
Collocet in quadram non ¶ utraq; manu.

Sunt

VIVENDI.

Sunt in delitijs quæ frustula lauta ciborum,
Diuidat in socios, non ea solus edat.
Non auidus nimium suis instar fursure pasti,
Os totum spumans ungat utraq; manu.
Farciat aut oneret uentrem potuq; ciboq;
Non sic, ut nauem mole saburra grauat.
Non nimium properet nimiumq; morctur edendo,
Semper in hoc iustum discat habere modum.
Compescat flatus & ructus inter edendum,
Ne spirent nares, contineatq; suas.
Dentibus interdum cibus est qui mansus inheret,
Hunc non cultellus, pennulla tollat auis.
Idq; prius palma tecto ciuilitate ore,
Os ne praesentes intueantur hians.
Non mox post sumptam puer offam lactis & esum,
Sed missu pastus iura sequente bibat.
Et bibat ad summum bis terue, nec obruat unquam
Quæ sternit uires ebrietate caput.
Abstineat multo uini feruentis ab usu,
Naturæ calidæ feruida uina nocent.
Non matutino ieiunus tempore, flammis
Igniuomis quæ sunt uina liquata, bibat.
Non latices haustu spirans exhauriat uno,
Ex cursu fessus sicut anhelat equus.
Peneq; non animam largo pracludat ab haustu,
Ex oculis lacrymas excutiendo suis.
Nec liquor in pectus cyathis effusus ab ore
Defluat, & uestes humiditate riget.

Sic

RATIO RECTĒ

Sic sorbens, non est potare falerna, sapaq;
Dignus, sed uappas uilis & annis aquas.
Cum bibit, os careat frustis teneatq; loquelam,
Ne malè pars errans strangulet ulla gula.
Et prius abstergat mappa strophioe labella,
Quàm bibat, & siccet cum bibit illa statim.
Pocula cum labris alius sitientibus ante
Ut bibat admouit, non simul ille bibat.
Quando propinauit quid amicus, pauca bibendo,
Reddatur puri debitus oris honos.
Non sit sputator crebrò puer atq; screator,
Ne sit socijs nausea foeda suis.
Quando senes adsunt, paucissima uerba loquatur,
Et notet attento pectore uerba senum.
Non prius à senibus quàm respondere rogatur,
Ullos in medium proferat ore sonos.
Quisquis uerba loqui coram sene digna rubore
Audet, perfrietae frontis is esse solet.
Non reliquis socijs sit futilitate molestus,
Turpia nec dictu prodat ab ore suo.
Ludis uel dictis caueat scurrilibus uti,
Nomen & absentis rodere more canis.
Scommate non quenquam tangat, dicteria iactans,
Per quæ multoties dissociatur amor.
Scommate qui petitur, dolet, & petit ille uicissim,
Surgit & hinc odium, lis furor, ira, minæ.
Cum puer incedit per publica strata uiarum,
Afficiat doctos semper honore uiros.

Et

VIVENDI:

Et pro personis grauibus, meritoq; colendis,
Mox caput exhibito nudet honore suum.
Virginibus castis, matronis atq; pudicis,
Deferri merito qui quoq; dehet honos.
Personis autem titulis & honoribus auctis,
Est etiam flexo poplite habendus honos.
Cedat ubiq; loco senioribus, inq; loquendo
Pilea non manibus gesticulando rotet.
Aut gestus alios ridendos turpiter edat,
Qui leuis indicium rusticitatis habent.
Cum concedantur pueris quoq; tempora ludi,
Hic exercendus, qui sit honestus, erit.
Alea, talorum iactus, lusoria charta,
Thessaraq; à pueri sunt prohibenda manus.
Ille pila ludat, simili ludoue, nec inde
Existens uictor grandia lucra petat.
Est animus tantum ludis recreandus honestis,
Lucrandi pueris omnibus absit amor.
In ludo uictus non commoueatur ad iram,
Ast animo uictum se patiente ferat.
Denudat siquidem puerorum pectora ludus,
Ac mens occulti detegit id quod habet.
Hæc, quæ præscripsi, præcepta salubria uitæ,
Commendata sibi debet habere puer.
Ipsius ac imis ea sint infixæ medullis,
Vt uitam iuxta dirigat illa suam.
Non sinat in uentos ea prorsus abire fugaces
Irrita, sed notet hæc inuiolata tenens.

E

Fiat

RATIO RECTE VIVENDI.

Fiat ut ex puero uir multis dotibus ductus,
Inseruire Deo qui populisq; queat.
His monitis recte parens, testabitur olim,
Non male discipulos me monuisse meos.
Cor pietatem, artem mens, uirtutemq; uoluntas,
Mores qui culti corpus habebit erunt.
Quod Deus omnipotens faxit, qui flamine sancto
Cuncta iuuentutis corda tenella regat.
Ut uitium fugiant, rectum seruentq; decorum,
Artes & studium relligionis ament.
Et sint ex animo pietatis amantia uera,
Omnis quæ fons est principiumq; boni.
Presenti uitæ siquidem simul atq; futurae
Donat inexhausta commoda multa manus.

F I N I S.



Den Ehrliebenden vñ züch-
tigen Knaben / Georgio Milwizen /
vñ Wilhelmo Henrico Kranckfeldt / Ge-
bettern / der Ehrnobesten vñ Wolweisen
Herrn / Herrn Georgen Milwizen / vñ
Herrn Michael Kranckfeldes / seliger ge-
dehntis / nachgelassenen Söhnen / meis-
nen geliebten discipulis vñ
domesticis.

Der heiligen Engel ampt vñ krafft /
Ihr Wesen vñ ihr Eigenschaft.
In dieser Schrift begriffen ist /
Ein Mensch jung / Alt / die billich list.

Denn all der heiligen Engel Schutz
Bedürffen haben ihrer Nutz.
Weil der Teuffel ist allen feind /
Dagegen die heiligen Engel seind /
Dass sie die Menschen Tag vñ Nacht
Beschützen mit Göttlicher Krafft.
Dafür man billich Gott dem **HERREN**
Soll stets danken / loben vñ ehren.
Solchs lehret euch lieben Knaben / sein
Der Euz Bericht / den nemet ein.
Vñ lehret des Catechismi Lehr
Fortan / wie ihr habt gthan bishet.
So wirdt der heiligen Engel schar
Behüten euch für all Gefahr.
Geluck vñ Heil wirdt Gott euch geben
In ewern studien vñ gangem Lebn.
Das wünsch ich euch zu aller stund /
Ihr lieben Knaben / von hertzen grund.
M. A. M.

GRATIARVM
ACTIO, PRO CREATIO
NE SANCTORVM ANGELORVM,
& eorundem breuis descri-
ptio Elegiaci car-
minis.

Nos, pater omnipotens, grates tibi dicimus omnes,
Feceris angelicos quod bonitate choros.
Sunt invisibilis qui essentia corporis expers,
Et natura quibus spiritalis inest.
Quam Deus ex nihilo fecit uirtute potenti,
Atq; cui flammam lucis habere dedit.
Ut presente Dei conspectu casta fruatur,
Seruitijs eius sitq; ministra suis.
Audiat ut uocem diuinam, letaq; sacris
Carmimbus Domini mystica facta canat.
Et benefacta Dei tot tantaq; predicet hymnis,
Compleat excelsum laudibus hisq; thronum.
Utq; comes Christi sit, & illi iuncta ministret,
Obsequijs faciens efficienda suis.
Non quia finxit eam, studijs ut inanibus usa,
Irrita, cum uentis ocia ludat, amans.
Sacra sed ut Christum bonitatem propter adoret,
Quod sit de Maria uirgine natus homo.
Quod pro peccatis hominum sit passus, & iram
Placarit, patri perueritq; suo.
Finxit eam coetus, custos sit ut apta piorum,
A Christi quotquot nomine nomen habent.

Nam

DE ANGELIS.

Nam Draco cum socijs bellum malus angelus infert
Coetibus horrenda cum feritate pijs.
Impius hic odijs ardet uehementius hostis,
Ipsius aduersus flagrat & ira Deum.
Aemulus ob fastum Domini quod ab ætheris arce
Sit sub tartareas præcipitatus aquas.
Inuidet humano generi felicius omen
Atq; bonum fato prosperiore statum.
In specie colubri magicas conuersus ad artes,
Humanum implicuit fraudibus ergo genus
Extitit hic primus peccati, mortis & autor,
Semper adhuc hodie persequiturq; pios.
Mille modis homini nocet hic sæuissimus hostis,
Omnibus in statibus tristia bella mouet.
Oeconomis per eum regimen turbatur honestum,
Oppugnat mira qualibet arte domos.
Multiplices lites ferit inter foedere iunctos
Coniugij, cuius uincula laxa facit.
Ac ad adulterium cogit, facit esse rebellem,
Non patribus sobolem morigeramq; suis.
Excitat aduersus dominos insurgere seruum,
Et facit ut fiat serua rebellis heræ.
Efficit in miseros sæuire tyrannide seruos
Illos, officium qui dominantis habent.
Implicat in rixas, odium, pugnasq; minaces
Hos, arctè iunctos quos habet una domus.
Urbes oppugnat, politias turbat, honestos
Civilis uitæ uertit ad ima status.

F 3

ipsius

Nam



DE ANGELIS.

Ipsius ex bellis Ecclesia mota, quietem
Amittit, damnum seditionis habens.
Discordes animis uerbi facit esse ministros,
Oppugnat doctas seditione scholas.
Inserit in mentes leuis ambitionis amorem,
In præceptis ut uis æmula pectus agat.
Excitat hæreticos, odium contraq; salutis
Ut graue doctrinam mentibus insit, agit.
Atq; Monarchias, supremacq; regna minorum
Quæ caput existunt, irrequieta facit.
E medio leges & mores tollit honestos,
Ac disciplina non sinit esse locum.
Omnis origo mali fons est malus angelus omnis
Criminis, id dici quomodocunq; uelit.
Aduersus tantum datus est bonus angelus hostem,
Qui sua pro nobis dimicet arma gerens.
Semper & excubias agit & defendit ab omni,
Nos Draco millena quod struit arte, malo.
Lothonem seruat sic angelus unus & alter,
Motibus indomitis cum Sodomita furit.
Nil timet angelicis cinctus legionibus hostes
Contra se cernit quos Eliseus agi.
Curribus ignitis infinitisq; Propheta,
Angelicis tectus magna pericla fugit.
Tobiam duxit sacer angelus atq; reduxit,
Ad sita regna procul cum peragraret iter.
Ne pereat Daniel, sacer angelus ora leonum,
Inter quos iacuit, dans alimenta domat.

Sie

DE ANGELIS.

Sic Deus angelicis cœtus tegit ergo piorum
Præsidij contra Demonis arma mali.
Hanc nos ingentem bonitatem carmine grati
(Vt decet) efferimus, conditor alme Deus.
Oramusq; tuus nos ut custodiat omnes
Angelus à Satanae calliditate bonus.

F I N I S.

Eine Dancksagung / für die
Schöpfung der heiligen En-
gel / vnd eine kurze beschrei-
bung derselben.

Du dancke dir Gott Vater
mein / (dein.
Für die Schöpfung der Engel
Die da sein von der Eigenschafft /
Unsichtbar vnd Geistlicher Krafft.
Die inen Gott gegeben hat /
Aus nichts durch seinen weisen Rath.
Daß sie vor seinem Angesicht stehn /
Vnd allzeit seine Diener seyn.
Sein Sein anhören / Lob vnd Danck
Im sagen / preisen mit Gesang.
Rühmen die grossen Wohlthat schon /
Mit Lob füllen des Himmels Thron.

F 4

Daß

Sie

Von den Engeln.

Daß sie warten auff Ihesum Christ/
Vnd thun was ihn befohlen ist.
Dan Gott hat sie nicht geschaffen drum/
Daß sie nur müßig gehn herum.
Besonder daß sie Gottes Sohn/
Anbeten in dem höchsten Thron.
Daß er vor vns Mensch worden ist/
Vnd hat zerstört des Teuffels list.
Er hat sie auch darumb gemacht/
Das von ihm werd die Kirch bewacht.
Dann der Teuffel der böse Drach/
Stellt immerdar den Christen nach.
Er brenne von Zorn stets wider Gott/
Verachtet in vnd sein Gebott.
Dieweil er vmb die Hoffart sein/
Bestossen ist zur Hellen hinein.
Den Menschen ist er spinnen feind/
Das sie eins bessern Standes seind.
Er hat sich in ein Schlang verkehrt/
Sein Kunst vnd List an ihn bewehrt.
Der Sünd vnd Todts er Ursach ist/
Verfolgt die Kirch zu aller frist.
Den Menschen fügt er Schaden zu/
Er macht in allen Stendn vnrhu.
Das Haus Regiment er stets ansieht/
Vnd all Unglück darinn anrichtet.

Von den Engeln.

Im Ehestand mache er gros Vnrhu/
Setze dem Mann vnd Weib hart zu.
Den Ehebruch er zu wegen bringe/
Mit list er auff die Kinder dringe/
Zu vngheorsam reizt er sie/
Macht ihnen Herkleid vnd gros weh.
Zusammen hebt er das Gesind/
Vnd Herrn/das sie vnruhig sind.
Er richtet an gros Haß vnd Neid/
Bey Blutsfreunden auff aller seite
Zerstöre Städte / vnd das Regimente
Umbkehrt er schnell vnd gar behende/
Die Christen er zusammen hengt/
Davö die Kirch gros schadn empfengt.
Kirchen vnd Schulen greiffe er an/
Daz man sie kaum erhalten kan/
Erwecket Ehrgeiz/Neid vnd Haß/
Macht daz man nit heile Ziel vñ maß.
Er mache das viel Kezer auffstehn/
Die in Gedancē schlechts nachgehn.
Königreichen er zuschaffen mache/
Vnd des in seine Faust stets lacht.
All Erbarkeit vnd Disciplin/
Verderbee er in grund hinein.
Allo Vnglücks er ein Vrsach ist/
Das richtet er an mit seiner List.

Von den Engeln.

Wider denselben bösen Feind/
Die Engel vns gegeben seind.
Daß sie beschützen vns allzeit/
Wider des Teuffels Listigkeit/
Also die Engel Loth bewarn/
Als die Sodomiter böß warn.
Eliseum der Engel schar
Beschützet für aller Gefahr.
Mit feurigem Wagen umbringt/
Sein Leben sicher darvon bringt.
Tobiam führt der Engel weit
Ins Land /hilffte ihm zu aller zeit.
Daniel bleibe frisch vnd gesund/
Ist sicher für der Lawen Mund.
Die Christen durch die Engel seind
Also sicher für ihrem Feind.
Für solche grosse Wolthat wir/
O Gott im Himmel dancken dir.
Vnd bitten du wolst vns bewahrn/
Daß vns nichts böß mag widerfahrn.

ERRATA QVAEDAM, LICET PLERA
que minutiora, inter relegendum obiter animaduersa.

B. fol. 6. fac. 1. pro intendant, lege intendat.

B. fol. 8. fac. 1. pro hæcut hæc ut. pro tueare regasq;

tueare regasq;. E. fol. 7. fac. 2. pro iacent, iacent.

E. 1. fac. 1. pro dehet, debet.

STVDIOSIS IN ACADE-
mia Erphordiana S. D.

INTER omnes antiquos Poëtas Epicos, qui Græcè scripserunt, sine contro-
uersia, communi doctorum uirorum iu-
dicio & commendatione, semper prin-
cipatum obtinuerunt, Homerus & Hes-
iodus. Vterq; enim plus alijs, pariter utilis est, ad σὺνερ-
σιμὸν καὶ δὲ ὑνὸν μὴ ἐρμηνευτικὸν. Quæ duo sunt omnia
um maxima ornamenta, sine quibus nemo ad solidam
eruditionem peruenire potest. Ea enim est solida eruditio,
de rebus & moribus rectè iudicare posse. & ea, quæ an-
nimo comprehensa tenentur, perspicua oratione ac coma-
modè explicare & eloqui. Rerum cognitio ad iudicans-
dum & parandam prudentiam est necessaria. Magna
uerò optimorum uerborum copia requiritur ad dicen-
dum. Qua de causa iudicatum est omnibus temporibus,
quibus lingua Græca floruit, utrumq; hunc poëtam, in
Scholis benè constitutis, cum magno iuuentutis fructu
proponi & lectitari posse. Atq; hoc consilio factum me-
mini, quod ante sesquialterum annum, poëma Hesiodi
Ἔργων καὶ ἡμερῶν, publicè in collegio Magno, in hac
Academia, tractandum susceperim, ex decreto & consti-
tutione Decani & totius Senatus Philosophici, legitime
uocatus ad officium linguam Græcam profitendi, in pos-
terum ob necessarias causas, cum Latinorum poëtarum
lectione coniungendum. Quod etsi non ambui, uel uis-
ribus ingenij mei exiguis temerè confisus, uel sapien-
tiæ laudem alijs erepturus: tamen honestè detrectare nec
potui

potui nec debui. Mouit enim me non accessio quedam
emolumentum, sed singularis amor, erga promouenda iu-
uentutis studia, & intellexi, me collegio Philosophico,
adeoque toti Academiae, tanquam nutriculae, quae iam uis-
ginti duos annos mihi hospitium praebuit, meque benigne
complexa fuit, pro uiribus ingenij, quantulacunque et-
etiam sunt, uicissim debere gratitudinem, & promptam
honesti obsequij uoluntatem. Quid autem utilitatis ex
commissa mihi lectione Hesiodia Tyrones itemque exerci-
tatiores percipere potuerint, tunc in praefatione lucu-
lenter ostensum fuit. Nec nostrum est hic dicere, quo
fructu aut successu, officio nostro functi fuerimus, huius
testimonium & iudicium penes diligentes & assiduos
auditores esto. Nunc quoniam explicationem Hesiodi, ad
finem perduxi, eiusdem Senatus Philosophici decreto, &
consilio unanimi, commissum est mihi enarrandum, quoque
alterius Poetae Epici Homeri poema, distributum in duas
partes, Iliada & Odysseam, quarum alteram, quae Ilias
dos nomine inscribitur, Deo adiutore primum ordiar, ea
quae ad linguam Graecam, omnium artium bonarum Magis-
trae & fontis cognitionem, & rerum explicationem pa-
riter excutiendam, necessario requiruntur, diligenter, fis-
deliter & compendiose ita tractaturus, ne in dissimilitu-
dine iudiciorum & uarietate auditorum, quisquam ex
Tyronibus de difficultate conqueri, aut ex exercitioris
his nimis ieiunam interpretationis tenuitatem, cursim &
properanter res difficiles & explicatione dignas trans-
mittentis merito fastidire possit. Cum itaque haecenus sine
fastidio & sacietate audiueritis enarrationem Hesiodi,
non

Non est uestrum dubitare, quin eadem diligentia et assiduitate Homerus sit audiendus, praesertim cum is quasi thesaurum Graecae linguae, et omnis generis in ea Dialectos contineat, exempla praeceptorum Dialect. et Rhet. ostendat, omnium Philosophiae partium principia et semina tractet, imagines uirtutum et uitiorum partim sub ueris, partim sub fictis exemplis pingat, et uarios rerum euentus et uitae humanae casus proponat, insertis illustribus sententijs, quae propter commendationem antiquitatis plus habent autoritatis, et totius uitae, consiliorum, morum, et ciuiliu officiorum reetrices sunt, multo utiliores, quam prolixi commentarij et disputationes Philosophorum, teste Horatio. Quamobrem semper fuit in admiratione et honore apud uiros laude sapientiae et uirtutis excellentes. Alexander Magnus appellauit eum summum praekonem uirtutis et poetam βασιλικόν, Iustinianus Imperator in Proemio ff. patrem omnis uirtutis, Plato ρισορ καὶ θεότατορ τῶρ ποιητῶρ, Fabius eloquentiae Oceanum, Plinius fontem ingeniorum, et primum doctrinarum et antiquitatis parentem, Plutarchus λόγορ τεχνίτηρ καὶ ποιητήρ χρόνω μὲρ τῶρ πλείωρ, συνάμα δὲ πάντων πρώτορ γενόμενορ. Hae iudicia ueterum de Homero magnificienda sunt, eiusque lectio propter multiplicem usum merito commendata esse debet. Ad cuius amorem ut animos auditorum, cupiditate discendi accensos pluribus excitem et alacriorum reddam, declamatiunculam primum Deo adiutore recitabo die proximo Lunae hora 1. ad quam audiendam studiosos conuoco. Oro autem DEVM fontem omnis sapientiae

Sapientia & uirtutis, ut nostra studia & actiones gubernet, nosq; omnes faciat uasa misericordiae, & organa salutaria nobis & Ecclesiae. Datae in Coenobio Augustiniano. 17. Nouemb: Anno Saluatoris 1552.

M. Antonius Mokerus.

STVDIOSIS GRÆCÆ ET
LATINÆ LINGVÆ IN
Academia Erphordiana.

S. D.



ARTIBVS utilibus reliquis adiuncta,
iuuentæ

Lectio Virgilij simul & sapientis Homeri

Vtilis est. Siquidem uerborum splendet uterq;
Luminibus uates, lectis phrasibusq; coruscat.
Ac ut Maonides Dialectos continet omnes
In lingua Græca: Maro sic est altera linguae
Gloria Romanae, quam cum Cicerone diserto
Auxit & ornauit. sed & idem dictus uterq;
Est uates pregnans uariarum pondere rerum,
Flosculus ut gramen: sic has sententia pingit.
Exemplis pulcris, per quæ moneamur, abundat.
Plus hæc ipsa mouent ferientia pectus & aures,
Quam uel Aristotelis libri uel scripta Platonis.
Differitur multis ambagibus in quibus, una
Quod uelut in tabula spectandum ponit uterq;
Hic uates. Certis personis namq; sub ipsis,
Efficienda iubet, uetat effugienda, decorum

In statibus uitæ delineat, omnia uiuis
Depingit, quæ sunt uitiosa, coloribus, aptè
Argumenta locos benè declarantia præstat.
Ordinis ostendit seriem, rectèq; locari
Monstrat ut in partes oratio debeat omnis.
Nam præceptorum dicendi continet usum,
Schemata pulchra, tropos illustres uersibus addit,
Dat documenta suis monitis formantia mores,
Naturæ rerum tectæ mysteria tractat,
Describit uarias regiones, flumina, montes,
Templa, domos, arces, personas, oppida, portus,
Annos, annorum partes, partesq; dierum
Et noctis, positus, motus, & syderis ortus.
Hæc ex Virgilio simul & studiosus Homero
Emolumenta capit, si discit & audit utrunq;
Ad quod non ipsi deerit occasio præsens.
Nam solitis horis pergam narrare Maronem,
Incipiamq; librum bis sextum Aeneidos, ordo
Ad quem nos duxit, sed in ipso tertium Homero
Ordiam Iliados librum, quò uenimus usq;
Qui sapit, ille suum non ponat in ocia tempus,
Sed iuuenis discat, factus maturior annis
Ut multis, possit solidæ decerpere messem
Doctrinæ, sciolo paleas non grana legente.

In Cœnob. August. 26. Octobris. Anno 1583.

Ant. M. in Acad. Erphord.

V. L. pub. professor.

ERPHORDIAE

Ioannes Pistorius excudebat.

Handwritten blue ink scribbles at the top of the page, possibly a date or initials, including the number '120'.

Small handwritten blue ink mark at the bottom right corner, possibly the number '21'.



X 1564607



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Q.K. 132,28

Ya
6120

DISCIPLINA
ET DOCTRINA
PAEDAGOGII IN
COENOBIO ERPHOR-
DIANO AD S. AVGVSTI

NVM recognita &
aucta.

ITEM
RATIO AB INEVN-
te ætate recte viuendi recens
conscripta ab

ANTONIO MOKERO.

Additis legibus scholasticis & metricis
D. Adami Siberi.



Anno M. D. LXXXIII.

*Editione Honoratissimi
Sacerdotis
S. J. J.*